EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

Fili hominis, pone cor tuum et auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.

(Ezechiel. 44. 5.)

Pergite, tu, dilecte fili, tuique in scribendo socii, pergite, ut facitis tam bene de religione mereri, atque operam Nobis vestram summo in Ecclesiam obsequio probare.

(Leo Pontif. XIII).

ANNUS DECIMUSQUINTUS — VOL. XV

ALAM COLLEGE
LIBRARY
Alma California

ROMAE
Ex Typis Instituti vulgo " Tata Giovanni "
1901.

41130

Annus XV Num. I. Januarius 1901

OMINA

Tristibus demortui saeculi dicentes vale, lactiora faustioraque Ven. Consociatis Ephemeridum intime pro novo ominamur.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

I.

DE TALARI CLERICORUM VESTE, VULGO SUBTANA.

Antimus vir laicus, nobilis et christianus ex America, solatii causa in unum perrexit ex Italiae pagis, et die festo Patroni adiit Ecclesiam quamdam auditurus solemniorem Missam. Sed magna animi sibique grata admiratione correptus fuit videns in talari veste, qua Clerus indutus erat, enorme discrimen, quod nesciebat intelligere. Nonnulli enim sacerdotes violacei coloris talarem vestiebant, alii nigram et sericam ac lucidam, alii alterius panni nigri sed sine splendore: quidam super talari fasciam nigram aut violaceam, alii hanc nequaquam ferebant. Adolescentes plures conspexit talari pariter indutos nigra, sed in extremis istius manicis coloris violacei. Alii autem ex iis, veluti parvi Patres purpurati incedebant in talari coccinea vel ex alio panno purpureo simili; nec defuere qui talarem eamdem vestiebant punicei seu caerulei coloris, super quas talares singuli superpelliceum adhibebant, sacroque solemniori assistebant. Antimus tantae varietatis rationem addiscendae causa, illius Ecclesiae petiit Caeremoniarum magistrum, a quo studiose sciscitatus est:

1. *Unde et quando talaris in clericis repetenda origo, seu in graeca seu in latina Ecclesia, et num aliqua symbolica ac quali significatione gaudeat?*

2. *Num aliquid et quid circa talaris in clericis panni qualitatem et colorem ius liturgicum decernat pro sacris actibus, et quomodo tanta explicanda varietas?*

3. *Quid de fascia dicendum diversoque illius colore, ac de colore violaceo in extremis manicis talaris quorumdam clericorum, vel etiam de fimbriis et globulis in eadem rubeis?*

SOLUTIO.

Dissertatio a Rev. P. Elia Maria Coccia Ordinis Carmelitarum habita in Ecclesia Presbyterorum Congr. Missionis prope Curiam Innocentianam, die 14 Novembris anni Iubilaris MCM; acta Epitome per Revmum Dom. Hilarium Passerini ex Praelatis Rom.

Quaestio est de talari veste, de illo videlicet habitu clericorum proprio qui appellari potest liturgico-civilis, quemque ingiter clerici induere debent per quod discriminantur a quavis societate, et a quolibet homine cultui divino minime dicato.

Hanc vestem talarem appellant ex eo quod ad talos usque descendit. Ipsa propter modestiam et symbolicam eius significationem recte ut convenientior statui clericali assignatur. Haud quaquam eius origo ex apostolicis repetenda, sed ex aetatibus posterioribus. Onus autem deferendi eam ab Ecclesia nonnisi serius impositum habetur. Omnia ex dicendis elucescent.

Quaeritur I.: « Unde et quando talaris in « clericis repetenda origo, seu in graeca seu in latina « Ecclesia, et num aliqua symbolica ac quali signifi- « catione gaudeat ».

Res difficilis postulatur, si meridiana luce, uti dici solet, in hac re clarius responsum vel mathematicam evidentiam desideras. Sat enim obscura sunt et non raro contradictoria quae super hac re pro prioribus Ecclesiae saeculis habentur. Conabor autem pro posse virium, ea quae ad rem colligere valui, maxima perspicuitate exponere. Illud praeterea a memoria ne excidat quod tantummodo de origine talaris quaestio agitatur, minime vero de obligatione eam deferendi, nisi obiter tantum.

Praemittendum, primis ecclesiae saeculis nullam fuisse distinctionem latinam inter et graecam ecclesiam; a fortiori nec distinctio vestium adesse poterat pro clericis utriusque ecclesiae.

Explorata res est apud omnes, usque ad quintum saeculum easdem ac laicorum fuisse clericorum vestes. Ad summum uti nonnulli autumant, tunc clerici usi sunt vestibus sacerdotum haebreorum vel gentilium, et etiam philosophorum, uti colligitur ex Origene *apud Eusebium lib. IV, cap. 19,* ubi de sacerdote alexandrino Heracla scribens, dicit: « Idcirco, cum vulgari « veste antea usus fuisset, ea deposita, philosophi « cum induit habitnm quem etiam nunc retinet. » Scias autem philosophorum habitum, in usu etiam fuisse eorum qui sapientes cupiebant haberi.

Occurrunt in antiquis ecclesiasticis monumentis clericorum vestes ita dictae: *Tunica*, sive *Dalmatica*, *Lacerna* sive *Birrum, Linea, Hemiphorium, Colobium, etc.* Attamen, uti recte notat *Thomassinus P. I, lib. II, cap. 45*, hae vestes communes erant clericis ac laicis, et quibus etiam utebantur ethnici.

Equidem usque ad quintum saeculum clericos non habuisse vestes alias a laicalibus sequentia mo-

menta penitus evincunt. *a)* Imprimis dira et cruenta persecutio qua ecclesia sancta Dei iam inde ab incunabulis dilaniari coepit, sinere rationabiliter nequibat, ut clerici peculiaribus uterentur vestibus, quod in causa certe fuisset ut a persecutoribus facile cognoscerentur et ad mortem damnarentur, ad quam accuratissime inquirebantur. *b)* Auctor de Ecclesiastica Hierarchia sub nomine Dionisii *cap. 6.* loquens de monachorum habitu atque tonsura alte silet quod attinet ad clericorum vestes, quod certe non omisisset si peculiares vestes pro clericali statu extitissent. *c)* Synodus Carthaginensis IV licet quod clericorum officia attinet nihil praeteriisset, nihilotamen secius de vestibus eorum loquens, modestiam solummodo eis commendat. Imo ipse Caelestinus Papa in epistola ad Episcopos provinciae Narbonenis et Viennensis missa, ita clericos reprehendit qui deposito habitu eis communi ac laicis pallio et cingulo uti coeperant: « Di- « dicimus quosdam Domini sacerdotes superstitioso « potius cultui inservire, quam mentis vel fidei puri- « tati. Amicti pallio et lumbis praecincti, credunt se « Scripturae fidem, non per spiritum, sed per litteram « completuros.... discernendi a plebe vel ceteris su- « mus doctrina, non veste, mentis puritate non cultu,... « Non est imponendum oculis, sed mentibus infun- « denda praecepta ». Clare ergo patet quatuor vel quinque prioribus saeculis easdem fuisse vestes clericorum ac laicorum. Tametsi temporibus illis clericorum vestes non variarent quod formam a vestibus laicalibus, quoad modestiam vero et simplicitatem omnino distingui debebant, ita ut clericorum habitus nec nimis abiecti nec nimis elegantes esse deberent. Hinc Hieronymus Epist. II, ad Nepotianum, ipsum admonebat: « Vestes pullas aeque devita et candidas; ornatus et sordes pari modo fugiendae sunt; quia alterum delicias, alterum gloriam redolet ». Et Synodus Carthaginensis IV, Can. XIV, iubet, « ut clerici

professionem suam in habitu et incessu probent, nec vestibus et calceamentis decorem quaerant. »

Uti vides, scriptores, concilia, Pontifices illorum temporum negativo potius sermone utuntur, prohibendo videlicet luxuriosas vestes, variis coloribus et ornamentis confectas, virgatas etc. Confer ad rem Concilium Lateranensem IV Can. 3.

A saeculo autem quinto vel sexto paullatim clerici in usu vestium recesserunt a laicorum more. Causa huius rei iuxta Selvagium et alios scriptores fuisse videtur barbarorum irruptio. Cum enim Barbari invaserunt Italiam et alias provincias occidentales, eorum usus utendi breviores vestes in invasos irrepsit a quibus et receptus fuit. Clerici autem Romanorum morem retinuerunt in vestibus, longiorem videlicet habitum. Ex hinc synodi sive provinciales sive Diocesanae commendare coeperunt et praescribere clericis huius vestis usum. Scriptores sancti iure meritoque laudes huius vestis texere coeperunt, quippe quae ut convenientior clericali statui ab omnibns agnosceretur; et ita progressu temporis factum est ut usus huius vestis evasisset generalis et obligatorius. S. Gregorius Turonensis de peculiari clericorum veste iam aetate sua existente testimonium reddit: « Merovechus, *ait*, tonsuratus est, mutataque veste, qua clericis uti mos est, presbyter ordinatur (Lib. V, cap. 14) ».

S. Gregorius Magnus saepe saepius in suis epistolis loquens de clericis, eos dicit a laicis distinctos in vestitu. Ita v. g. *Lib. II, epist. 24*, ait: « Paulum, qui, despecto habitu suo, ad laicam reversus vitam etc, » et alibi ; « Dum ad ecclesiasticum habitum veniunt.... dum in ecclesiastico habitu non dissimiliter, quam vixerant, vivunt, nequaquam student saeculum fugere quam mutare (Lib. VI, epist. 11.). Idem colligitur ex auctore vitae S. Caesarii Arelatensis, de quo ait: « mutato habitu in clerum fuisse cooptatum ».

Concilium praeterea Liptinense *Can. VII,* statuit « ut Praesbyteri et Diaconi non sagis laicorum more, sed casulis utantur ritu servorum Dei ». Ita etiam Synodus Agathensis anno 506, *Can. XX,* vestimenta et calceamenta, quae religionem decerent, clericos gestare iussit. Et Matisconensis I, an. 581, *Can. V,* laicas vestes diserte clericis interdicit. Accedit tandem an. 692 Trullana Synodus *Can. XXVII,* in quo legitur : « Nullus eorum, qui in cleri catalogum sunt relati, vestem sibi non convenientem induat, neque in civitate degens, neque iter ingrediens; sed utantur vestibus, quae iis, qui in clerum relati sunt attributae fuere. Si quis autem tale quid fecerit, una septimana segregetur ».

Vides ergo quam clare pateat ex citatis locis, a saeculo quinto vel sexto clericos usos fuisse vestibus eorum statui decentioribus, idest longioribus quarum forma, uti ex dictis constat, a laicorum more nimium abibat ; id Sancta Mater Ecclesia in votis semper habuit ut ab omnibus clericis servaretur. Ad hoc numquam maternis exhortationibus atque praescriptionibus destitit eos monere ne etiam in his vestibus luxum et decorem quaererent. Hinc Concilium Lateranense II, *Can. 3,* : « Nec in superfluitate, scissura aut colore vestium, intuentium offendant adspectum Episcopi et clerici ». Caeterum in clericorum vestibus mundities una cum modestia regnare debet, et quidem propter rationem a Possidio allatam in vita S. Augustini, ubi legitur : « Ex moderato et competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum, quia ex his plerique vel iactare sese insolenter homines solent, vel abiicere ; ex utroque non quae Iesu Christi, sed quae sua sunt quaerentes ». Ideo iam a quinto saeculo color niger invaluit quippe qui decentior et symbolicus habebatur, quem Ecclesia progressu temporis pro omnibus praescripsit.

Concilium tamen Tridentinum *Sess. 14, c. 6 de re-*

form., temeritatem carpens quorumdam clericorum qui propriam dignitatem et clericalem honorem parvi pendentes vestes deferebant publice laicales, renovans veteres constitutiones conciliorum et Pontificum, districte prohibet ne quis in posterum laicales vestes deferre audeat; et « si post quam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini, et dignitati congruentem, et iuxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, » eos declarat subiici poenis ab eodem Concilio statutis *(loc. cit.)*.

Concilio Tridentino consonat et magis severe Summus Pontifex Sixtus V, qui per constitutionem quae incipit: *Cum Sacrosanctum*, die 9 Ian. 1589, extendit ad omnes clericos, etiam minores dispositiones Tridentini modestiam et honestatem clericorum concernentes. In hac Constitutione praelaudatus Pontifex qualitatem statuit clericalis habitus et iubet clericos, nomine excepto, talarem vestem una cum tonsura deferre. Negligentes vero declarat et ipse subiicere poenis a Tridentino statutis.

Ne longior sim dico, tanti momenti nunc temtoris esse onus deferendi talarem ut Episcopi serio et scrupulose circa eius observantiam vigilent; et Theologi unanimiter clericis hoc onus imponunt. Et haec sint satis super talaris origine quod quidem pro utraque ecclesia latina et graeca valet.

Nunc autem quaeritur etiam an talaris symbolica gaudeat significatione ac quali. Breviter respondeo: Accipiendo talarem qualiter nunc temporis est generaliter pro omnibus, nigram videlicet, dico quod apud omnes gentes color niger signaculum luctus est. Talaris nigra proinde bene significare potest clericos mortuos esse debere mundo et omnibus quae sunt in mundo et dantur a mundo. In sacris ministris nihil vacuus symbolico aliquo significatu habetur. Hinc talaris habitus, tonsura, indumenta sacra etc., etc., omnia no-

bis repraesentant, vel saltem deberent, tamquam in speculo divinam personam Iesu Christi Domini Nostri. Et ad primum quod attinet satis. Nunc autem quaeritur;

II. « Num aliquid et quid circa talaris in clericis « panni qualitatem et colorem ius liturgicum decernat « pro sacris actibus, et quomodo tanta explicanda « varietas ».

Forma statuta clericalis habitus ecce a nobis de materia quaeritur, de panni videlicet qualitate et colore eiusdem. Circa qualitatem leges nimium rigorosae videntur non haberi; nihilominus ex variis locis et praesertim ex Caerimoniali Episcoporum clare colligitur sericum prohibitum esse, et ratio patet, quia si sericae vestes admitterentur, iam satis longe abiremus ab illa modestia in vestibus servanda et pluribus saeculis clericis commendata. Idem praeterea Caeremoniale loquens *cap. I, n. 1*, de habitu praelatitio ab aliquo Electo sibi conficiendo ait: « Vestes autem huiusmodi erunt, vel ex lana, vel ex camelotto coloris violacei, nullo autem modo sericae ». Idem repetit cap. 3 nn. 1-4, rursus de vestibus tractans et cappa. Eadem fere verba resonat Clar. Martinucci lib. 5; c. 2, n. 1, ubi legitur: « Habitus ordinarius Episcopi semper laneus esse debet, numquam sericus ». Hae Caeremonialis praescriptiones, si quid opinor, pro omnibus valent privilegio gaudentibus deferendi praelatitium habitum vel talarem violaceam, et etiam pro sacerdotibus inferioribus. Equidem si Caeremoniale sericum prohibet Episcopis, *a fortiori* hoc retinendum pro inferioribus. Hoc est ius; nihilominus Caeremoniarii Pontificii in functionibus Papalibus de facto talarem violaceam deferunt sericam, et quidem de iure, arbitror, etenim quod eos iustificat, profecto est praesentia Summi Pontificis; sed omnes leges ecclesiasticae refunduntur in Romano Pontifice. Ergo. Sunt autem alii multi qui talarem violaceam sericam deferre consuescunt.

Pro istis dico, quod nisi gaudeant peculiari aliquo privilegio, non possunt iustificari, et pro eis remanet quod *factum non probat ius*, et nos non agimus de facto, agimus de iure : utrum liceat. Quapropter clerici illi qui assistebant solemni illi sacrificio de quo in casu, et de quibus dicitur quod *vestiebant talarem nigram sericam ac lucidam*, exemplum ducant ab aliis qui eidem assistebant sacrificio, sed tamen de eis dicitur quod vestiebant talarem utique nigram, *sed alterius panni et sine splendore*.

Ad colorem talaris quod attinet Selvagius *lib. II, cap. XII, n. 3*, ait quod clerici, iam quarto exeunte saeculo, uti coeperunt talari nigra, et subiungit hoc forsitan fecisse ut distinguerentur a clericis Novatianis qui talarem albam deferebant.

Dominicus Macri tamen et Carolus eius frater, auctores operis cui titulus *Hierolexicon*, pag. 85 et 159 volunt colorem proprium clericorum vestis antiquitus violaceum fuisse, et dicunt colorem nigrum introductum esse a monachis Benedictinis quos decorant titulo *Nigrorum Ordo;* en eorum verba (*pag. 159*): « Antiquitus clerici ferebant vestem violacei coloris, eodem modo, quo hodie Pontificis familia, et Praelati utuntur..... Hinc Hieronymus in epist. 3, ad Nepotianum, colorem nigrum seu album damnat: Fuit color niger, *pergunt*, per monachos in clericos saeculares introductus, in illis, nempe, saeculis in quibus Nigrorum Ordo Cathedram S. Petri obtinebat : quare ex eodem Ordine innumerabiles per orbem ad Episcopatum assumpti, atque nigrum habitum eorum religionis retinentes, hinc saeculares clerici eorum subditi, ad superiorum similitudinem eumdem colorem nigrum introduxerunt in vestibus ». Isti monachi uti dictum est, iuxta Macri pag. 401, Benedictini erant.

Quidquid autem circa hoc dictum vel factum sit, certa nunc res est colorem tantum nigrum inferioribus clericis competere, et fere omnia Concilia post Tri-

dentinum habita clericos voluerunt gestare talarem nigri coloris. Ita, v. g. in Concilio provinciali Mediolanensi I, S. Carolus Borromaeus de vestibus clericorum haec habet *Part. I, Act. Eccles, Mediolanens. pag. 18*): « In omni vestitu color tantum niger adhibeatur..... externa vestis simplex et talaris est ». Idem statuerunt Concilium Mediolanense anno 1590 tit. de vita et honestate Clericor· cap. 3. (*tom. 10, collect. Hard. col. 1195*); Concilium Remense anno 1583 tit. de clericis in genere n. 8. (*ibid. col. 1292*); Concilium Burdigalense eodem anno tit. 1, sess, 21; Narbonense anno 1602 cap. 41 (*tom. 11, collect Hard. col. 44*), et alia plurima. His adde praeterea perplurimas Synodos dioecesanas quas ratione brevitatis omittimus.

Color violaceus in praesenti *de iure* tantum competit Episcopis, Praelatis, et Caeremoniariis tam Pontificiis quam Cathedralium. Hi autem, talarem violaceam tantum deferre valent in functionibus episcopalibus.

Talaris habitus violaceus vel niger, vel etiam ex alio colore si est, semper deferri debet pro sacris actibus. Quamobrem, tametsi Pontifices et Concilia aliquantulum circa onus deferendi talarem indulgentiores fuerint aliquando, nullo pacto tamen hoc fecerunt cum de sacris actibus ageretur, pro quibus celebrandis rigorose semper voluerunt clericos talari indutos. Cuius rei nobis testimonium perhibet Benedictus XIV dum adhuc Archiepiscopus Bononiae erat, *in Institutionibus Eccles. 34 et 71*, et in *c. 8, lib. XI, de Syn. Dioec. n. 4.* Accedunt epistolae plures circulares Emi Card. Patritii Summi Pontificis Vic. Generalis.

Postulat secunda pars huius quaesiti quomodo tanta explicanda varietas. Respondeo: Quod ad talarem nigram et violaceam attinet satis ex hucusque dictis patet. Ii qui solemni illi sacro, de quo casus, assistebant, nescio qui essent. De iis tamen qui talarem

deferebant nigram et sericam indubie affirmari potest contra eos ius liturgicum stare, quod etiam ex expositis aperte colligitur. Quantum ad eos vero qui talari violacea induti erant, quoniam malum non praesumitur, supponimus eos praelatos, vel caeremoniarios fuisse, vel tali privilegio fruentes ac proinde illam de iure deferentes.

Tandem Americanus ille Antimus perplures conspexit super talari fasciam nigram aut violaceam, alios hanc nequaquam deferentes. Reponendum puto maxima cum probabilitate alumnos fuisse diversorum Collegiorum, qui cum ad vestes quod attinet iuri liturgico stricte non subiacent, talares eorum omnino sequuntur voluntatem fundatoris Collegii. Hinc tanta varietas pene indefinita habituum clericalium per quod collegia singula inter se apprime distinguuntur, ad quod videndum necesse non est ex ambitu Urbis egredi.

Adhuc autem Antimus vidit adolescentes plures talari pariter indutos nigra, sed in extremis istius manicis coloris violacei. Alii autem ex iis, veluti parvi Patres purpurati incedebant in talari coccinea vel ex alio panno purpureo simili; nec defuere qui talarem eamdem vestiebant punicei seu caerulei coloris, super quas talares singuli superpelliceum adhibebant, sacroque solemniori assistebant. Res, ut videtur, non est difficilis explicatu, cum de iis agatur adolescentulis qui ad materialem servitium ecclesiarum adhiberi solent. Horum talares prorsus dependent ex arbitrio singulorum ecclesiarum rectorum, qui ut plurimum eas confici volunt aliquo colore, qui pro tali illa ecclesia non caret similitudine vel symbolica significatione. Ita v. g. si Praenestinam Cathedralem ingressus fueris, quoniam Basilica Divo Martyri Agapito dicata est, videbis hos adolescentes indutos talari coccinea. Si ad Carmelitarum ecclesiam pergeris, eos videbis in talari incedere coloris castanei cum extremis ma-

nicis, ocellis et globulis albis, et hoc profecto quia Carmelitarum habitus duobus his coloribus constat. Si ad Ecclesiam Fratrum Praedicatorum, videbis eos talarem albam deferre, et sic de caeteris. Nunc autem ut finis imponatur solutioni remanet faciendum satis tertio commati in quo quaeritur.

III. « Quid de fascia dicendum, diversoque illius « colore, ac de colore violaceo in extremis manicis « quorumdam clericorum, vel etiam de fimbriis et « globulis in eadem rubeis ».

Et primo ad fasciae originem quod attinet dico non esse improbabile quod sit modificatio quaedam cuiusdam cinguli vel ventralis in usu apud antiquos Romanos. Erat hoc cingulum vel ventrale zona quaedam qua lumbi cingebantur, apta etiam ad pecuniam continendam. De hac zona loquitur Gellius lib. 15, capo 12, ubi refert verba Caii Gracchi aientis: « Itaque Quirites, cum Roma profectus sum zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia (idest, Sardina) inanes retuli ». Idcirco probabilius teneri potest clericos sicut vestem omnibus communem, ita etiam hanc retinuisse zonam quae tamen non ad profanos usus, sed ad continentiam significandam adhiberi debebat. Talis est significatio principalis quam cuivis cinctorio in usu apud ecclesiasticos tribuitur ab omnibus. Praedicta zona, uti opinantur multi, ab omnibus ecclesiasticis sive regularibus sive saecularibus in usum recepta fuit. Revera. et experientia constat, non est Ordo vel Congregatio religiosa cui non sit species aliqua cinctorii; ad clericos saeculares quod attinet videtur quod progressu temporis sive commoditatis causa, sive ex quavis alia ratione obsolevit, tametsi non omnino, nam sacerdotes Galli, nonnulli parochi in Italia et alumni omnium Collegiorum adhuc fasciam retinent. Ad Episcopos autem et praelatos omnes fascia *de iure* spectat et quidem in extremitate duobus floccis concoloribus ornata. Non desunt praeterea qui eam

ex privilegio deferunt. Color fasciae generaliter talarem sequitur, ita ut si talaris rubea, violacea, nigra fuerit, etiam fascia eiusdem coloris erit; licet etiam in hac parte exceptiones et facta in contrarium non desiderentur. Alumni autem Seminariorum fasciam habent coloris a fundatore impositi sicut et talarem uti iam diximus.

Nunc pauca dicenda, antequam punctum fiat, de ornamentis talaris praelatorum, videlicet de extremis manicis, de fimbriis, de ocellis ac de globulis. Haec omnia serica debent esse et coloris qui principaliter competit cuique praelato, exceptione facta pro talari Episcoporum in qua iuxta Clar. Martinucci debent esse utique serica sed coloris rubini. Et nunc punctum.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Hispania.* **De Missis de requie in Vigilia Epiphaniae.** In Ordine Divini Officii recitandi SS. Patriarchal. Basilicae Vaticanae, pag. 2, in Vigilia Epiphaniae, dicitur: « Missa vero solemnis Defunctorum in die 3. 7. 30 et Anniversario hodie celebrari potest, nisi occurrat in Dominica (S. R. C. 9 maii 1857) ».

Idipsum docet, idemque Decret. citat Rmus Solans, Magister Caeremoniar. Urgellensis, in suo Promptuario liturgico, pag. 184, ann. 1883, edito.

Contra haec testimonia opponunt aliqui, hoc solum posse in Dioecesibus gaudentibus Indulto canendi Missas de Requiem in festis duplicibus per hebdomadam.

Hinc quaeritur 1: Quae Missae de Requiem prohibentur, et quae dici possunt in Vigilia Epiphaniae?

2. Missae de Requiem cantatae in die 3, 7, 30 et Anniversario dici ne possunt in Vigilia Epiphaniae in Dioecesibus carentibus

Indulto canendi Missas de Requiem in festis duplicibus per hebdomadam?

Resp. A nobis praefatorum Dubiorum solutio quaeritur, non iuxta praesens, sed iuxta ius antiquum. Dabimus solutionem uti quaeritur; sed notum interim sit cl. Consulenti, ius novum esse idem atque antiquum, hoc tantum cum discrimine, quod antiquitus adeo negotium non erat perspicuum ut in praesenti.

Censura notantur ab aliquibus *Ordo divini officii* pro Basilica Vaticana, et sententia cl. Solans Decretique in *Cadurcen.* citatio. Ratio est, quia dictum Decretum, cui conformia sunt praefatus *Ordo*, et auctoris praefati sententia, supponit aliquod privilegium, ergo ab re citatur ad ius commune constituendum. At verum ne quod asseritur? Videamus. Dictum Decretum quinque continet Dubia, ex quibus duo prima de privilegiis quibusdam indubie loquuntur, ac proinde dubia, quae ex iisdem privilegiis derivant, ius commune non valent *per se* constituere.

At animadvertas Dubium secundum supponere privilegium cantandi Missam quater in hebdomada in omnibus duplicibus non classicis, exclusis tamen festis de praecepto, **feriis, vigiliis et octavis privilegiatis.** Inde quaerit, num in dicta Dioecesi Missae de requie, praesertim de diebus tertio, septimo, trigesimo et anniversario, valeant cantari diebus 2, 3, 4 et 5 Ianuarii. Nunc autem S. R. C. respondens proposito Dubio *Affirmative*, quid docet implicite, sed manifesto? Dies 2, 3, 4 et 5 Ianuarii non esse privilegiatos: secus *negative* respondisset, cum indultum dies privilegiatos excludat. Ergo duo declarat hoc cum responso Sacrum Tribunal: *a*) hos dies non impedire pro Dioecesi Cadurcensi Missas de requie privilegiatas in loco, neque Missas easdem de diebus III, VII, XXX et anniversaria: *b*) Ideo eas non impediri, quia dies 2, 3, 4 et 5 Ianuarii inter dies privilegiatos non sunt computandi: id enim, et non aliud quaerebatur in Dubii expositione.

Hoc autem posito, palam sequitur, diebus praefatis 2, 3, 4 et 5 Ianuarii non vetari Missas de requie *pro loco*; sed palam sequitur etiam, eosdem dies non esse privilegiatos pro universa Ecclesia: adeo ut non excludant Missas cum cantu de diebus III, VII, XXX et anniversario *pro universa Ecclesia*. Etenim In-

dultum locale respicit tantum Missas cantatas *ex quotidianis*, non vero Missas cantatas *de diebus III, VII, XXX et anniversaria*, quamvis quaesitum illas et istas spectet. Stat ergo, ac toto iure, quod legitur in *Ordo* pro Vaticana Basilica, et quod docet Solans citato loco: quod ceterum De Herdt quoque docet eidem Decreto innixus (*Pars I, n. 60*). Stat etiam firmiterque solutio, quam cl. Academiae Liturg. Romanae Censor ad honorem, A. Fourneret, anno 1899 (*pag. 704 et seq.*) dedit, idemque referens Decretum.

Nunc ad Dubia. Certe Missa de requie ex quotidianis prohibita est in Vigilia Epiphaniae, uti saltem constat ex iure antiquo (*Panormitana*, n. **1973** (3458) *27 apr. 1697 ad* 5) quod intelligas et iure, sive de lectis sive de cantatis, eadem enim est ratio. Permittuntur eadem in Vigilia omnes Missae privilegiatae iuxta omnium peritorum doctrinam antiquam, quae seu Decreto in *Cadurcen.* suprarelato innititur, seu nulli legis prohibentis existentiae, seu aliis particularibus et Generalibus Decretis, illas Missas prohibentibus in duplicibus tantum classicis, aliisque nominatis diebus, Vigiliam Epiphaniae silentibus.

II. *Ex col. loco.* An simplificato ex privilegio Officio Ss. Cornelii et Cypriani (16 sept.) ut aliud Officium per accidens translatum ibi reponatur, nona lectio horum Sanctorum ex tribus vel duabus lectionibus historicis constare debeat?

Resp. Quaesitum propositum nulla per se difficultatis umbra implicatur, ut antiquiores etiam Rubricae praescriberent: « Si in die quo fit Officium novem lectionum, fiat com. de festo trium lectionum, nona lectio legitur de festo trium lectionum, si propriam habuerit: si duas, ex duabus fiat una lectio, quae sit nona ». Quod nemo non videt applicandum ad casum simplificati, quemadmodum Rubricae emendatae clarius se explicant. Sed fortasse, uti credimus, adm. Rev. Consulens praefatam statuit ad modum Dubii normam, ut viam sibi aperiret ad alterum proponendum Dubium, quod expediturі sumus. Hoc autem sic se habet: « Simplificato Officio Inventionis S. Stephani (3 Aug.) quae lectiones legendae sunt pro nona? » Respondemus, legendas esse illas, quae in Breviario dicta die prostant, tertia tamen omissa, uti censemus. Quia Rubricae cum lectiones de simplificato legen-

das statuunt, nonnisi de historicis verba faciunt, quae profecto obiectum festi respiciant. Nunc autem, licet ultima lectio in casu sit historica, non Inventionem spectat, sed factum quod in Inventionis corporis delatione accidit. Historiam autem Inventionis Corporis S. Stephani duae primae lectiones narrant et absolvunt: tertia autem ad complementum addita fuit, et eventum refert a S. Augustino narratum, uti in ipso lectionis eiusdem titulo dicitur.

Hinc separata est ab historia, et quid unum a se facit, quamquam pro tertia posita sit lectione, uti in similibus alias fieri solet. Quae tamen vere sunt historicae et Inventionem respiciunt, duae primae tantum sunt, quas per consequens respicit tantum Rubricarum praeceptum, uti ipse rerum nexus etiam ostendit, qui inter secundam et tertiam propemodum deficit, si ex tribus una deberet fieri. Cum itaque Rubrica Breviarii nonam lectionem sed *historicam* de festo exigat, satis esse in casu credimus primam et alteram legere pro nona, tertia omissa.

III. *Ex Austria*. **Circa Decretum 3922, III. de Missis votivis.** Si Missa votiva dicatur infra aliquam octavam, secunda Oratio de octava erit, *tertia de tempore*. Ergo ne: *a)* si infra octavam Nativitatis Deiparae dicatur Missa votiva de S. Ioseph, 2. Oratio erit de octava, et tertia *A cunctis*? *b)* Si Missa votiva ut supra solemniter celebratur et Missa conventualis de die celebrata iam fuerit, 2. Oratio erit ne *A cunctis*, 3. ad libitum? *c)* Praefatio nonne de octava erit? *d)* Si Missa votiva dicatur in vigilia alicuius Apostoli, silente de hoc casu Decreto, quae Orationes dicendae erunt? De tempore ut infra octavas, vel Concede etc. ut pro Missa vigiliae notantur? *e)* Si infra Octavam dicitur Missa votiva, sive in festo semiduplici, sive in feria maiori, sive in Vigilia, Missa erit more festivo dicenda, id est cum Gloria et Credo, ut dicitur in praedicto Decreto III, 3, et ut Ephemerides liturgicae iam demonstrarunt. Quaeritur nunc, quae Orationes dicendae sunt: 2. Officii diei, 3. quae notatur pro secunda in diebus infra Octavam respectivam? nonne? *f)* Si Festum habeat Sequentiam, ut apud nos festum S. Patris nostri Benedicti, nonne ipsa etiam infra Octavam in praedictis Missis votivis de Octava dicenda erit?

Resp. Praemittimus generales normas, quas a Rubrica de Missis votivis expositores eruunt. Itaque in casu: 1. erit votivae propria; et in hoc nulla difficultas: 2. erit de Officio diei: 3. erit quae secundo loco dicenda est in Missa quae responderet Officio diei. His praemissis, ad Dubium *a*) reponimus: Negative. Quia, supponendo officium fieri de infra Octavam Deiparae, prima in Missa de die Oratio esset de octava; ergo ea secundum locum habebit in Missa votiva de S. Ioseph. At, si Missa de Octava foret, 2. Oratio in illa quaenam esset in casu? Non *A cunctis* iuxta Rubricas, quae huiusmodi admittunt Orationem dum Suffragia fiunt; sed Ecclesiae vel pro Papa (*V. Rubr. n. 9 art. IX*). Ergo cum haec in casu esset secunda Oratio, locum tertiae Orationis habebit in Missa votiva.

b) Respondemus: Negative. Nam iuxta Rubricas (*VII. 2*), cum duae celebrantur solemniter Missae, hae dicuntur *absque ulla utrorumque commemoratione*: quod ex identitate rationis ad praesentem casum iure applicandum vi decretorum. Remanet proinde ut, in casu, 2. Oratio dicatur Ecclesiae vel pro Papa iuxta Rubricas (*X, 9*), et altera omittatur ut in Decreto **2325** (4054) hic applicando.

c) Affirmative hic respondemus. Praefationis enim haec summa legis, ut semper magis propria dicatur, quamvis nunquam de festo, in quo Missa votiva dicitur. Cum itaque in casu infra octavam simus, de hac Praefatio erit.

d) De tempore ut infra octavas, arbitramur esse Orationes dicendas; quia octava magis considerationem meretur quam vigilia.

e) Ita quidem iuxta generalem assignatam normam: explicite habet De Herdt: « Ita ut si Missa officii de octava dicenda foret, tertia Oratio dicatur **prout infra octavam** (*Tom. I. n. 44*). »

f) Decretum in *Corduben.* 1490 (2656), 16 Sep. 1673 ad 2. notat Sequentiam in Missa votiva B. M. V. a septem Doloribus dictae omittendam esse. Idem notat specialis Rubrica Missalis (*In fest. mens. Mart.*): nonne eadem norma optime valet in casu?

PUERULUM IESUM

A B. V. IN LUCEM EDITUM IN PRAESEPIO INTER DUO ANIMALIA RECLINATUM FUISSE VENERABILIS TRADITIO ET SACRA MONUMENTA TESTANTUR.

DISSERTATIUNCULA.

Pergratum forsan erit S. Liturgiae amatoribus apprime cognoscere ea quae Ecclesia postremis huius mensis diebus meminit de Reparatoris nostri nativitate aiens: *iacentem in praesepio inter duo animalia et fulgentem in coelo.* Huic enim veritati adversantur his diebus viri docentes perversa et una cum reliquis nationibus de infantia Iesu irridentes quae Ecclesia profitetur, pene cum Basnagio, Serry, Baillet, Renan, caussam faciunt. Sacra de Nativitate Christi liturgia, admirabili quodam conceptu ea quae facta sunt mirabilia enarrat, simulque historicam veritatem ratam habet et sui ipsius fidem facit. Verba, mysteria profitentur; carmina, cor movent; doxologia amorem clamat; omnia ad adorationem ducunt Eius, qui *caro factus est et habitavit in nobis.*

Et antequam ad testimonium Patrum deveniamus libet notum facere, nonnullos maioris notae auctores in verbis Isaiae: *Cognovit bos possessórem suum et asinus praesepe Domini sui*; *Israel autem me non cognovit*, et in illis Habacuc: *in medio duorum animalium innotescéris,* vidisse literalem facti prophetiam. Haec esset quaestio hermeneuticae et nobis non est ad rem. Cum agatur de traditione, testes non ex sacris libris sumendi sunt, quia secus ageretur vere de revelatione. Tantum dicamus neminem posse probare, stricte loquendo, verba Isaiae non edicisse prophetiam de reclinatione Iesu in medio duorum animalium, quamvis absolute et necessario per se non reposcant huiusmodi interpretationem. Isaias revera respiciens quae ventura

erant de puero Iesu nec non duo animalia irrationabilia, Dominum, suum, ut ita dicam, recognoscentia in suo depositum praesepe, et aliunde pariter respiciens populi Iudae ingratitudinem, poterat stupore perculsus exclamare: *Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe Domini sui: Israel autem me non cognovit.* Quae ut ita sint merito edicere possumus, cum ad praesepe ubi Salvator Iesus reclinatus est, reapse bos et asinus inventi sunt, ut videbimus infra. Scimus insuper a prophetis multa etiam minoris momenti edicta esse, natalem, vitam, mortem Iesu benedicti spectantia. Fatendum tamen est verba Isaiae absolute et necessario per se non exposcere huiusmodi interpretationem, quia sic absolute spectata haud certiores efficiunt an Isaias exprobando Iudaeos verba facturus esset de bove et asino generatim, vel proprie adamussim de bove et asino ad Domini praesepe iacentibus. Memores sumus tantum verborum prophetiae post factum. Ergo ante factum, nobis non clare quod evenerat notum erat ex prophetiae verbis: nemo enim unquam credidisset tam clare et, liceat dicere, materialiter Prophetam locutum fuisse de circumstantiis natalis Domini. Brevius: haec prophetiae verba huiusmodi sunt quae lucem recipiunt ex ipsis quae vaticinantur, dum antecedenter non hoc aperte demonstrant.

Et ad Habacuc quod spectat videtur verius quam Isaias locutus esse ad rem de Iesu natali: multi ex patribus dicunt verba Habacuc esse vere de Christi nativitate prophetiam, quae adimpleta est iuxta genuinam Septuaginta lectionem. Sed considerandum iuxta plurimos lectionem istam: *In medio duorum animalium cognoscéris* erratum extitisse, dum in codicibus hebraicis legitur: *In medio annorum vivificabis illum.* Ex quo factum est ut multi in alterum, multi in hunc intelligant sensum, quamvis allegorice omnes credant verba illa prolata esse.

Non ergo directe ex sacris literis sententiam quam adorti sumus probare licet: ad Patres confugimus, quorum testimonium valde nos adiuvat ut veritatem comperiamus. Inter hos nonnulli mentionem faciunt duorum animalium in praesepe ubi natus est Iesus quin tamen nomen dicant, caeteri vero expresse de bove et asino loquuntur. Inter primos emicat Lactantius qui floruit IV saeculo.

Hic elaborato carmine Passionem Christi enarrat et de Iesu incunabulis loquens ait:

« Horrida prima mihi in terris mapalia Iudae
Hospitia in parta, sociaeque fuere parenti.
Heic mihi fusa dedit bruta inter inertia primum
Arida in augustis praesepibus herba cubile ».

Multi, inter quos Tillemont, expungunt ex operibus Lactantii hoc carmen, multi vero illud produnt nomine eiusdem doctoris, et non sunt audiendi qui ab incerto exaratum esse putant. Florente Lactanctio vel ineunte V saeculo floruit et Prudentius, qui non minus clare neque minus eleganter testatur de duobus animalibus ad Christi praesepe ab eo sic rythmice conclamatum:

O sancta praesepis tui,
Aeterne Rex, cunabula
Populisque per saeclum sacra,
Mutis et ipsis credita!
Adorat haec brutum pecus:
Indocta turba scilicet,
Adorat excors natio,
Vis cuius in pastu sita est!
Sed cum fideli spiritu
Concurrat ad praesepia
Pagana gens et quadrupes;
Sapiatque quod brutum fuit.

Sic pariter auctor homiliae in laudem protomartyris Stephani dicit, et forsan est Ioannes Chrysostomus: « Nonne adstitura in praesepio duo animalia praedixit Habacuc: *in medio duorum animalium cognoscéris!*

Quod autem haec animalia essent reapse bos et asinus testatur Origenes: Invenerunt..... ipsum Salvatorem iacentem in praesepio: illud erat de quo propheta vaticinatus est dicens: *Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe Domini sui* » (Tom. III pag. 947 Edit. De'arue) Idem Sanctus Martyr Hermes (an. 304) et maximus doctor D. Hieronymus dicunt: « Bethlehem ingressa (Paulla) et in specum Salvatoris introiens, postquam

vidit sacrum Virginis diversorium et stabulum in quo *agnovit bos possessorem suum et asinus praesepe Domini sui* etc. ». Clarius D. Gregorius Nissenus « Medium igitur in praesepio se inter bovem et asinum utriusque Dominus locat » (Hom. De Christi Nativitate) Idem sentiunt Theodotus Anciriensis (in Luc. lib. II n. 42) et Athanasius (hom. in cens.). Non discrepat ab istis Paulinus Nolae et Augustinus una cum Ambrosio nec non Chrysologus (serm. 141, 156, 159) et Prosper vel quisnam alius sit auctor libri *de promissionibus*. Favent quoque sententiae nostrae monachus Giobius in codice 222 apud Proth. et Gregorius Magnus in libro VII moralium capite vero 4 art, 7 et in homilia 8 de Natali Domini. Addantur denique Sophronius (orat. in Nat. Dom.), Ven. Beda (Comm. in Lucam c. II n. 7 19), Petrus Damiani et S. Bonaventura pluribuscum aliis.

Dices: multi ex allatis Patribus et doctoribus allegorice locuti sunt et loca Isaiae et Habacuc explanantes pariter allegorico sensu fecerunt. Sane: S. Ambrosius et S. Petrus Chrysologus in bove conspicantur populum Iudaicum, paganum in asino. D. Augustinus pariter in bove pastores, Magos in asino. D. Gaudentius Brixiae lux, et in bove et in asino gentiles populos. Sicque plures. Ergo isti doctores haud firmant sententiam nostram: cum allegorice locuti sint de bove et asino, allegorice intelligenda sunt verba prophetarum.

Res non ita se habet. Prophetae allegorice locuti sunt de allegoricis animalibus nego. Prophetae allegorice locuti sunt de veris et realiter existentibus animantibus concedo. Allegoria patrum ex realitate rei exorta est, nec poterant allegorice de bove et asino sermonem habere, ni vere bos et asinus adessent Domini praesepi. Quomodo Patres loqui de animantibus potuissent ni haec existerent praeterquam in cogitationibus eorum ? Ergo literalem sensum dum adstruunt, allegoriam seu moralem sensum innuunt. Audi Hieronymum : « Lex omnia quae ad adventum eius pertinent prius narrat. *Ecce* inquit, *Virgo in utero habebit, et pariet filium*. Alius propheta non ignorat locum: *Et tu Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iudae*. Alius definit locum ubi positus est : *Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe Domini sui*. Alius fugam in Aegypto et re-

ditum: *Ex Aegypto vocavi filium meum* ». (Adv. Manich. Lib. III n. 6). Hic clare videtur sermo esse de viventibus animantibus bove et asino in praesepio cubantibus. Idemque maximus doctor explanando Psalmo CXXXI, nota facta ad vers. 6 qui iuxta codices hebraicos legendus est *Ecce audivimus eum in Ephrata*, seu, ut recte explicat, Illum qui nascitùrus erat ex semine Davidis, addit haec : « Christus in Bethlehem natus est : felix igitur locus qui tanto ante tempore prophetarum voce cantatus est : Christus non invenit locum inter homines... sed in praesepe inter iumenta et bruta animalia et simplices quosque et innocentes etc. » (Op. S. Hier. ad Venet. 1769 tom. VII, par. II). Ex his clare liquet, interpretem admittere sensum allegoricum duorum animalium, vero in veritate existentiae realis fundatum, de qua prius locutus erat. Adhuc, Auctor Homiliae in festo Palmarum, quae extat in operibus S. Epiphanii subdit: « Cognovit bos possessorem suum in praesepi natum ». Clarius praedicatur de Isaiae verbis et de natali Redemptoris Christi Iesu.

Sit autem quod nonnulli Patres allegorice tantum de bove et asino locuti sint. Haec nobis favet locutio iuxta quae scripsit doctissimus Benedictus XIV. En verba : « Aliud est rei alicuius gestae narrationem allegorice intelligi posse, aliud debere. Res quaedam gesta explicari quidem potest etiam allegorice ; et si quis ita eam explicet, non negat rem gestam esse : sed super veritatem iilius facti allusionem seu allegoriam qnodammodo inaedificat ; neque facti veritati dici potest ille adversari, nisi diserte se veritatem facti illius negare profiteatur » (De Festis D. N. I. C. lib. 1 c. XVII § 38). Hinc, concedimus libenter verba Isaiae et Habacuc a multis Patribus intepretationem habuisse allegoricam, concedimus factum realem bovis et asini aliud factum suadere: sed ex hoc non licet inferre praedicta loca Scripturarum non posse literali sensu intelligi, quamvis non absolute per se, de reali existentia et praesentia praedictorum ad praesepe Domini animalium, multo autem minus sensum allegoricum excludere omnino literalem. Secus dicendum esset, Patres et Doctores illos qui sensu allegorico loquuntur de asina et pullo eius subiugali a Iesu adhibito cum ingrederetur trium-

phaliter Ierosolimam, implicite saltem negasse Iesum Christum equitasse asinum vere et realiter existentem, contra verba sancti Evangelii. Insuper : non asserit clare Apostolus Paulus ea quae in Genesis libro dicta sunt de filiis duobus Abraham dicta esse *per allegoriam ?* (Ad Gal. IV, 24 et seq.) Non dicit ipse filium ancillae Agar signum fuisse Veteris Testamenti, filium liberae Sarae, Novum significasse ? Nihilominus non vixere realiter Isaac et Ismael ? Sicut ergo in generatione Isaac et Ismaelis abscondebatur allegoria duorum Testamentorum et huius tantum mentionem faciens Paulus, non negavit, sed imo supposuit eorum realem existentiam, ita pariter bos et asinus praesepis, innuebant allegoriam duorum populorum israelitici et pagani, sed Patres de hoc tantum loquentes non negant imo innuunt realem duorum animalium ad praesepe Domini existentiam. Merito ergo verba Patrum ad argumenti robur allata sunt.

Haec, ut ita inquam, probatio negativa censetur. Sed ad positive probandam hanc quaestionem extant documenta virorum vitae sanctitate et ingenii praestantia clarissimi. Hi, quin verba de allegoria faciant, de veritate nostrae assertionis aperte loquuntur. Claudianus (iuxta quosdam Merobandus) doctor hispanus saeculi IV, scribit et Matrem divinam et brutos cognovisse mysterium de Nativitate Domini N. I. C.

« Auctorem scivere Deum te, conscia partus
« Mater et attoniti pecudum sensere timores ».
(Biblioth. Patr. Gallandi, t. IX).

Clarius quam hic, perceleber Sedulius, comparans asinum qui triumphaliter Christum in Ierusalem vehit cum alio, qui quamvis vidisset Iesum iacentem in praesepio, tamen cognovit Dominum suum, illum minus quam istum felicem vocat aiens :

« . . . . . Non illius impar
« Qui patulo Christum licet in praesepe iacentem
« Agnovit tamen esse Deum ».
(Carmen Pasch. lib. IV v. 297 et seqq.).

Apud omnes in confesso est Patres qui locuti sunt de duobus animantibus ad praesepe Domini, qui explicite veritatem traditionis faciunt, quique implicite hoc firmant testimonium, fuisse ante dimidium saeculi quinti. Veritatem ergo non adstruunt

qui ducibus Calmet et Tillemont, existimant veritatem de qua sermo est, eluxisse post saeculi sexti dimidium. Ergo ante ignoti auctoris librum *de promissionibus* multi et clarae notae auctores, Patres et Doctores, firmant veritatem Iesu Infantis iacentis in Praesepio et fulgentis in coelo.

Verum non tantum scripta Patrum hanc devotam veritatem adstruunt, sed et sacra monumenta uti in propositione diximus. Haec sunt veluti Patrum dictis adiutorium et ea quae in monimentis conspicimus certe non dicta seu picta vel sculpta per allegoriam sunt.

Gorius in lucem edidit una cum eruditissima dissertatione et descriptione, exemplar (fac-simile) vitri saeculi tertii ex privata pinacotheca familiae Vettorii Romae educti, quo bos et asinus cubant ad praesepe Domini et halitum emittentes in Puerulum ut calefieret. (V. Cavalca — *Specchio di Croce* cap. XV) Trombellius anaglyptum eburneum describit pinacotheces Cospianae Bononiensis, quo tribus partibus sculpta sunt quae enarrantur primis Evangelii capitibus de Iesu Infante. Harum partium altera monstrat nativitatem Iesu Christi, medii inter Mariam et Iosephum ; hic ad dexteram Pueruli, illa ad sinistram genua flectunt. Prope stabulum adstant bos et asinus. (Vita Mariae SS. tom. III, Dis. XIX). Augustinus Peruzzi in historia civitatis Anconae Doricae, in lucem edita anno millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, et ante hunc alii quamplures, perbelle recensent sarcophagum T. G. Gorgonii Anconae existentem, opus iuxta cl. Maffei, saeculi IV vel V ineuntis. Ad dexteram huius sarcophagi est praesepe Domini in medio bovis et asini.

Operis cui titulus *Roma sotterranea* volumen alterum enarrat de urna sepulchrali anaglyphonibus ornata, sub templo Vaticano inventa. Superiori loco huius urnae extat adoratio Magorum : ad pedes Iesu Infantis cubant bos et asinus. (Edit. Rom. 1737, p. 82, tab. 22). Altero in volumine eiusdem historiae invenitur sarcophagi pulcherrimi descriptio ex coemeterio S. Callixti sumpti ; hic sequitur alium prope viam Appiensem inventum ad ecclesiam S. Sebastiani ; sic pariter tertio in volumine invenitur alius. Hi omnes Praesepium demonstrant bove et

asino ornatum. Huiusmodi alia omittimus testimonia quae omnia nobis suadent usque ab aevis antiquis Latinos assuevisse in picturis et sculptis operibus repraesentare Iesum Puerum in stabulo iacentem in medio bovis et asini. Nec huius instituti ratio apud Latinos tantum erat, quinimo Graeci, Arabes, Moscovitaeque cum Latinis idem sentiebant. Probent hoc sequentia pauca sed non dubia monumenta. Pictura quaedam perantiqui menologii Basiliani magni ponderis auctoritate, apud Grecos populosque greco imperio subiectos, monstrat VIII kalendas Ianuarii Puerulum Iesum pannis involutum iacentem in stabulo, bovem et asinum calefacientes halitu divinum natum, Virginem Matrem, Sanctum Sponsum compluresque angelos. Simili quasi modo picta est Nativitas Domini N. I. C. in tabulis Ephemeridum graeco-moscovitarum apud Papebrochium. Item in kalendario runicensi eadem pictura videtur. Tandem apud collectionem scriptorum historiae byzantinorum adest descriptio civitatum orientalium, ubi de specu Bethlehem loquitur et de Ecclesia ibidem aedificata. Apud altare praesepis conspicitur speciosa pictura Natum Dominum repraesentans; et ibi apud Iesum asellus et bos. Ab auctore huius collectionis (Ioannes Foca graecus sec. XII) non dicitur epoca picturae supradictae, sed clarum est apud orientales populos extitisse memoriam animalium ad praesepe Domini.

Dum haec monumenta mirabiliter firmant nostram de hac re opinionem, pariter confirmant quantum utilitatis possit theologus et liturgicus sumere ex archaeologiae studiis : nam cum bases, ut ita dicam, theologiae et liturgiae firmae et immutabiles sint, modus quo progredi possunt et augere conclusionum munerum est detegere novas accessiones intelligibilium. Hinc mirabilis unio inter theologiam, archaeologiam et sacram liturgiam.

Ut concludatur : veritas nostrae propositionis lucet ex testimonio patrum a saeculo tertio nec non ex sacris monumentis. Quomodo autem usque ad nos haec opinio stabilis permanere potuerit ni veritate solidaretur ? Ecclesia ergo dum sacra liturgia loquitur de Infante Iesu *iacenti in praesepio et fulgenti in coelo* non fabulam profitetur sed veritatem eventus adstruit, sic-

ut venerabilis traditio et sacra monumenta testantur, quod demonstrandum erat.

Sac. Amedeus Mancini Mis. Ap.
Curio S. Bartholomaei et in Seminario Tifernate S. Liturgiae Professor.

DUBIA QUAEDAM

MAXIME

SUPER CANONICORUM SPECIALIA INSIGNIA

Ordinario cuiusdam illustris Ecclesiae facta fuit potestas a Romano Pontifice, ut peculiaria insignia indumentaque choralia concederet Canonicis suis, « exceptis tamen purpureis tunicis, aliisque peculiaribus insigniis, antiquis Canonicis *principalibus* nuncupatis competentibus, quae propterea sunt expresse reservata duobus tantum ex Canonicis *principalibus*, qui adhuc supersunt (*Ex Breve Pii Pp. IX*, 30 Mart. 1855) ». Quinimo « neminem idcirco post illos in haec privilegia successurum, sed ea pro tunc plane extincta » solemniter proclamavit Gregorius Pp. XVI (Ex Bulla **Quamvis aequo** 21 Nov. 1843): » item, ut sex memorati Capituli Dignitatibus impertiret usum Mitrae et pontificalium ornamentorum ad instar Abbatum Mitrae usum habentium, cum facultate Missae pontificalis ad faldistorium peragendae, servatis servandis: denique, ut, deficiente aliqua ex Dignitatibus, ne et splendor deficeret sacri ritus, quivis ex Canonicis praesentibus eamdem posset Missam pontificaliter peragere.

Ordinarius sibi traditae, ex Apostolica venia, potestati inhaerens, sequentia de facto concessit:

1. Ut Capitulares omnes, sive Dignitates sive Canonici, servarent usum Collaris, Tibialium et Zonae, ex colore rubro, nec non Rochetti.

2. Ut in posterum uterentur veste talari, et mozetta ex serico vel ex lana, coloris rubri cum subsutura purpurea: vel, pro mozetta, iuxta temporum functionumque adiuncta, uterentur Cappa magna coloris rubri, cum caputio et subsutura, aut ex purpura aut ex pellibus albis.

3. Ut Beneficiati, diebus solemnioribus, adhibere valeant tibialia, collare et vestem talarem coloris violacei, et supra rochettum mozettam coloris nigri cum subsutura coccinei coloris: vel, pro mozetta, pallium violaceum sine caputio, et cum subsutura ex coccineo colore aut ex pellibus cineracei coloris: aliis vero diebus adhibeant tibialia vestemque talarem coloris nigri, atque superpelliceum rotundum (1) ut ex in more.

4. Cappellani cantores veste talari nigra et superpelliceo rotundo utentur, cum mozetta, item coloris nigri ac subsutura rubea sine caputio.

5. Dignitates, nempe: Decanus, Cantor, Archipresbyter, Archidiaconus, Thesaurarius maior, et Ludimagister, uti poterunt Mitra atque indumentis pontificalibus, cum potestate celebrandi Missam ritu pontificali ad faldistorium, servatis servandis; atque in defectu alicuius ex Dignitatibus, in solemnioribus Capituli functionibus, poterit quivis ex praesentibus antiquior Mitram adhibere ac pontificalia indumenta, ut Dignitati absenti suppleat.

Super his concessionibus, peculiariter quae Dignitates

(1) Superpelliceum rotundum est veluti mozetta, albi tamen coloris, quod inferiorem colli partem circumcingit, descenditque ampliori modo inferius usque ad inferiores humeros ex una parte, et usque ad pectus ex altera, ita ut totas eas partes circumcingat.

spectant, plura nobis proponuntur Dubia, quae ut plene solvantur, prae oculis habenda est Constitutio *Ex Romanorum Pontificum*, de qua aliquid dicendum est. Huius itaque Constitutionis obiectum est *privilegium Pontificalium* **Collegiis Canonicorum** *insignioribus libenter collatum*, **statis quibusdam conditionibus moderandum** *(Decr. 22 Aug. 1822* num. **2624** (4593) *sub initio*).

Iam quidem ab anno 1684 in *Panormitana*, atque in *Urbinaten.* 1752 eiusmodi privilegium S. R. C. moderata fuerat; *novis tamen et deterioribus adhuc percrescentibus adversus haec instituta consuetudinibus*, Pius Pp. VII necessarium iudicavit *rem universam eidem Sacrae Congregationi discutiendam demandare.* Re discussa, et Constitutione, de qua supra, evulgata, alia quoque evulgata est, ut prima confirmaretur et sanciretur. Haec autem est quae incipit **Decet Romanos Pontifices**, ex qua iterum notum fit per Constitutionem **Ex Romanorum Pontificum** Pium Pp. VII voluisse *opportune praefinire* **quidnam iuris inducant Mitrae ac Pontificalium usus,** *aliaque id genus Insignia, quibus placuit Apostolicae Sedi* **Abbates praelatosque nonnullos** Episcopo inferiores, et **quaedam Canonicorum Collegia** honestare.

Ex quibus Constitutionibus, Decretisque citatis, omnem citra controversiam, sequitur Canonicorum Collegia iisdem subiacere normis ac regulis inibi praescriptis.

Insuper ait praefatus Pontifex: « Quo circa Ven.bus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis aliisque locorum Ordinariis per Apostolica scripta **mandamus,** ut praesentes litteras atque omnia et singula in eis statuta faciant Auctoritate nostra executioni mandare (*Decet Rom. Pontif.*) Imo adeo firma et gravia sunt quae statuuntur ut omnino observari debeant « non obstantibus quibusvis editis vel edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et

quatenus opus sit, Ecclesiarum, quarum Capitulis Pontificalia Insignia concessa reperiuntur, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alias roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis, quibusvis personis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiam si de illis specialis, specifica et expressa mentio habenda... foret... **derogamus.** »

His positis ac praemissis, ad proposita Dubia deveniamus.

I. Praefati Canonici Dignitates in missis ritu pontificali celebrandis, utuntur Caligis et Sandaliis atque Chirotecis auro et argento ornatis, mitra pretiosa, gremiali, praegustatione, palmatoria, ac presbytero assistente. Insuper dicti Canonici (Dignitates) populum salutant cum *pax vobis* loco ℣. *Dominus vobiscum;* dant praeterea cum cantu trinam benedictionem in praefatis missis, atque in vesperis et laudibus quae ritu pontificali solemniter decantant, et cum Sacramento. Quaeritur: An haec omnia sic adhibere liceat canonicis praefatis, non obstante clausula *servatis servandis*, quae quidem videtur in memoriam revocare multa S. R. C. Decreta?

Resp. Supponimus primo uti certum nullique discussioni obnoxium, quibuscumque Ordinariis nullam esse facultatem Insignia peculiaria suis Canonicis concedendi, cum id soli competat Romano Pontifici (*Elven. 10 Ian. 1604, n.* **152** *(227) ad 2 et 3).* Secundo, Ordinarium proinde ea tantum posse concedere Insignia, quae ipsi concedendi potestas facta est. Tertio, pro casu nostro, sequens Ordinario facta est potestas, nempe **deferendi sex Dignitatibus sui Capituli usum Mitrae et pontificalium ornamentorum ad instar Abbatum, Mitrae usum habentium, cum potestate Missam pontificali ritu, servatis servandis, in faldistorio**

celebrandi *(Breve Pii Pp. IX*, 1855). Ergo manifestum est, praefatas Dignitates uti posse Mitra aliisque pontificalibus indumentis **ad instar Abbatum**, et Missam pontificaliter facere; id enim, non aliud, Ordinario permissum est ut concedere valeat.

Nunc quaestio surgere potest super verba: *ad instar Abbatum:* etenim significare possunt, aut pontificalia eadem ornamenta, **quibus** *utuntur Abbates*, aut tantum pontificalia ornamenta *ad similitudinem Abbatum* (1). Alterum autem, non primum sensum habere praefata verba indubium est. *a)* Quia ita ea verba in re simili, et non aliter, accipiuntur, uti constat ex privilegiis concessis Protonotariis Apostolicis *ad instar* Participantium: qui satis distant ab aliis et minoribus privilegiis ditati, quam Participantes. *b)* Quia in praesenti materia strictior interpretatio facienda est. *c)* Quia S. R. C. hoc sensu, et non alio, eadem verba interpretata est, uti mox videbimus. Ergo, neque omnia, neque eadem pontificalia indumenta adhibere possunt, quibus Abbates utuntur, sed tantum dictis indumentis, uti permittuntur, ad instar seu ad similitudinem Abbatum.

His positis, quod caligas attinet, sandalia, et chirotecas auro argentove ornatis, respondemus: Negative. Nam Dignitates et Canonici Urbinatensis Ecclesiae eodem privilegio fruuntur, ac Dignitates de quibus agimus, videlicet gestandi Mitram aliaque indumenta **ad instar Abbatum,** ex concessione Benedicti XIII. Nunc autem S. R. Congregationi sequens propositum fuit Dubium: « An Dignitates et Canonici Metropolitanae Ecclesiae Urbinaten. uti

(1) Tullius ait: *saepes instar muri:* exprimit similitudinem muri, haud vero ipsum murum. Columella scripsit: *Pampinus instar quatuor digitorum erit:* exprimit aequalitatem, seu quatuor digitorum longitudinem.

possint annulo, cruce pectorali cum gemmis, **caligis et sandaliis, chirotecis** praesertim auro ornatis etc. ? » Responsum est autem: « In Missis solemniter decantandis... Celebrans uti possit enunciatis indumentis **auro non ornatis**, nec non annulo cum unica gemma, et cruce pectorali sine gemmis; et amplius *(Decr. 29 Ian. 1752, num.* **2418** *(4224) ad 1).* » Hinc sequitur, etsi Abbates eiusmodi ornamentis uti possint, iisdem uti non posse Dignitates et Canonicos, qui sunt privilegiati, **ad instar** quidem **Abbatum,** sed non sicut Abbates, ut superius dictum est.

Quod vero attinet Mitram pretiosam, praefatis Dignitatibus eam esse prohibitam, dubitari nullo pacto debet: quippe quae ipsis Abbatibus est interdicta. Audias enim sub Alexandro Pontifice VII Decretum a S. R. Congr.ne peculiariter pro Abbatibus emanatum, ab eodemque Pontifice approbatum: « Mitram pretiosam, nisi illis expresse a S. Sede indultam, non adhibeant (*27 Sept. 1659 num. 8).* » Ergo a fortiori eam adhibere nec possunt nec debent ii ex Praelatis, qui Mitra uti possunt *ad instar Abbatum*, uti sunt Dignitates et Canonici, de quibus agimus.

Circa praegustationem panis notamus, hunc ritum adeo esse proprium Missae pontificalis Ordinarii Episcopi, ad thronum agendae, ut nunquam fiat quando ad faldistorium celebratur ab ipsis Episcopis extraneis, vel etiam dioecesanis. Hinc Bauldryus ait pro casu: « Non tamen fieri debet ei (*Ordinario ad faldist. celebranti)* praegustatio aquae et vini antequam infundatur in calice (*Append. cap. IV, n. 13).* » Idem auctores communiter docent, dictum praegustationis ritum, scilicet, nonnisi Episcopis Ordinariis competere, ut praefatus Bauldryus, Catalanus, de Herdt, etc. Denique praegustatio fieri ex Caeremoniali debet per Sacristam, qui, ut ait de Herdt « superpelliceo indutus et nudo capite apud altare ad Offer-

torium assistere debet, et tempore Missae ad abacum manere, ut ibi necessaria subministret, cum opus fuerit. (*Prax. Pontif. Tom. I, n. 51, lit. a*). » Porro non est liber Praelatis, neque ipsis Episcopis extraneis, ministrorum numerus; sed eos habere solos debent, quos ius permittit. Inter hos autem minister pro praegustatione panis et vini non recensetur. Ergo concludendum, Dignitatibus in casu, ritum praegustationis non licere.

Palmatoria Abbatibus permittitur, sed ex hoc non sequitur esse Dignitatibus in casu permissam. His enim indultus est usus Mitrae et pontificalium ornamentorum ad instar Abbatum,... sed *palmatoria*, apprime notat De Herdt (*Tom. 3, n. 349, 8*) cum aliis, *inter haec Insignia non numeratur*, ut proinde *sine speciali indulto adhiberi nequeat*. Arroges, Canonicos Urbinatenses a S. R. Cong.ne quaesiisse: « An uti valeant *Palmatoria* in Pontificalibus...? » Sed quid responsi acceperunt? « Negative; et amplius », cum nihilominus Mitra uterentur et aliis pontificalibus indumentis, *ad instar Abbatum*. Ergo neque Dignitatibus, in casu, palmatoriae usus in pontificalibus competit.

Ex quo sequitur, neque iis uti licere Presbytero assistente; cum huic praecipue incumbat palmatoriam in altari deferre. Aliunde privilegium Mitram nominat et ornamenta pontificalia; atqui Presbyter Assistens neque Mitra est, neque pontificale ornamentum. Privilegia autem, satis notum ponimus, ad aliud extendi non possunt, quod saltem in concessis non sit contentum. Proinde, quod Presbyterum assistentem attinet, licebit concludere, eum Dignitatibus praefatis non competere, maxime quia « omnia quae non sunt privilegio expressa, ut vetita censeri debent (Decr. **Ex Romanorum Pontificum** *27 Aug. 1822, num.* **2624** (*4593) 23*) ».

Quid autem de **Pax vobis** loco *Dominus vobiscum?*

ac de trina benedictione? Reponimus, esse utrumque contra legem, sive quod in privilegio non habeatur expressum, sive ex eiusdem legislatoris explicita voluntate. Decretum namque superius citatum in *Urbinaten.* et ex parte relatum in Dubio 5 sic se exprimit: « An liceat eisdem (*Canonicis Mitra aliisque ornamentis pontificalibus, ut pluries dictum est,* **ad instar Abbatum** *fruentibus*) in Missa pontificali populum salutare dicendo: *Pax vobis*; loco dicendi: *Dominus vobiscum!* » Et responsum est: « Negative; et amplius. » Item dubium 6 sic se habet: « An post Missas, Vesperas, aut Matutinum in Pontificalibus celebratum, possint ipsi solemnem dare benedictionem, dicendo: *Sit nomen Domini benedictum*, etc. vel potius simplicem benedictionem tantum post Missam dicendo: *Benedicat vos omnipotens Deus*, cum unico vel cum trino signo crucis? » Cui petitioni responsum est: « Negative ad primam partem: affirmative ad secundam, cum unico signo; et amplius. » Nec tantum autem haec trina benedictio Dignitatibus et Canonicis vetita est in casibus allatis, sed etiam in casu, quo populo cum Sacramento benedicant, et in aliis in quibus eam dare possent pontificalibus ornamentis induti. Nam proposito dubio 7: « An Dignitates et Canonici Missis aut Vesperis pontificalibus celebratis, benedicendo populum cum SS. Eucharistiae Sacramento dare possint trinam benedictionem, vel unicam tantum dare debeant? » responsum pariter fuit: « Negative ad primam partem: affirmative ad secundam; et amplius. » In Dubio autem 8 quaerebatur: « An eaedem Dignitates et Canonici, induti Mitra aliisque paramentis, ad instar Abbatum, etiamsi Missas aut Vesperas in Pontificalibus non celebraverint, dare possint trinam benedictionem? » Sed pariter responsum fuit: « Negative et amplius. » Ergo finalis ad primam petitionem responsio, quoad omnia ac singula proposita nobis Dubia, sequens

tantum esse potest: Negative; sed Indulto Dignitates, de quibus agimus, stare debent, illudque praetergredi non possunt. Consequenter servare debent limites in illo appositos, aliaque Decreta, quae illud interpretantur et explicant: hinc et in Indulto illa apposita est clausula: « **servatis servandis.** »

Aliunde ipsum Decretum **Ex Romanorum Pontificum** vetat *ritus et caeremonias pro Episcopis aut Praelatis inferioribus designatas* adhiberi posse *a Dignitatibus et Canonicis* (*num. 4*): inter hos autem ritus est **praegustatio** *panis et vini*. Caligae et sandalia ex auro argentove, uti chirotecae sericae (*ergo a fortiori ex argento*), et Mitra pretiosa, haec omnia ac singula vetita sunt in num. 8. Similiter numerus 16 expresse prohibet dicere *Pax Domini* pro *Dominus vobiscum*, et prohibet etiam Palmatoriam. De gremiali non loquitur explicite, sed in num. 8, ubi indumenta enumerantur, non recensetur gremiale; ergo Dignitatibus in casu ea omnia vetita sunt.

II. Praeterea isti Canonici ornamentis pontificalibus utuntur in missis pro defunctis, quae ritu pontificali ab ipsis ter vel quater in anno celebrantur, assistente Ordinario cum pluviali et Mitra parato. Quaeritur: an id eis liceat, cum obstare decreta videantur?

Resp. Negative. Namque, non solum id prohibetur quibuscumque Praelatis sive regularibus, sive saecularibus Episcopo inferioribus, Canonicis et Dignitatibus, Protonotariis Apostolicis ad instar; sed etiam peculiariter et explicite ipsis Abbatibus. En textualia verba Decreti pro his specialiter emanati, de quo superius, et pro aliis Praelatis Episcopo inferioribus: « Abstineant autem ab huiusmodi Pontificalium usu in officiis et Missis defunctorum quocumque die (*num. 5*). » Et notandum, in fine Decreti fieri Ordinariis facultatem atque onus imponi, ut illius observantiam urgeant, adeo **ut auctoritate sedis Aposto-**

licae possint, imo debeant, praefatos etiam per censuras compellere. Ex quibus abunde patet, non solum Dignitates, de quibus agimus, illicite hac in re se gerere; sed ipsum Ordinarium illicite operari, si Decreti observantiam, quantum ex se est, negligat. Praeterea idem etiam expresse vetitum est in Decreto **Ex Romau Pontificum** (n. 13).

III. Ordinarius ex privilegio utitur falda purpurea in sacris functionibus peragendis, Dignitates vero haud contenti tunica talari cum parva cauda, ubi ad renes aptant, cum pontificalia peracturi sunt tam in missis quam in vesperis et laudibus, faldam fimbriis oblongis ante praecisis, atque globulis rubeis ornatam. Quaeritur: An Canonicis liceat usus faldae sic modificatae, vel potius rubea tunica talari cum parva cauda contenti sint oportet, cum pontificalia exercent?

Resp. Certum est, Dignitates et Canonicos, quibus pontificalium ornamentorum usus concessus est, ea tantum ornamenta adhibere posse quae iis concessa sunt, et non alia; de Insignibus namque agitur peculiaribus, quae nonnisi a Sede Apostolica indulgeri possunt. Iam nunc Decretum iam citatum, seu *Ex Romanorum Pontificum*, quaenam eiusmodi sint ornamenta describit: cuius proinde referre iuvat textualia verba: « Sub generico ornamentorum pontificalium nomine, quae ex privilegio Apostolica Sedes insignioribus Capitulis quandoque concedit, *intelliguntur dumtaxat* ex pluries decisis a Sacra Cong.ne: caligae, sandalia, nec auro nec argento ornata, sericae item chirotecae, Dalmatica, Tunicella, Annulus cum unica gemma, Crux pectoralis sine gemma, Mitra simplex ex tela alba, cum sericis laciniis rubei coloris (*num.* 8). » Cum ergo falda, quamvis cum fimbriis praecisis, et a fortiori cum globulis rubeis, de qua in dubio proposito, inter ornamenta pontificalia indulta minime recenseatur,

liquido profluit huic quaesito responsum negativum ; ut Canonici indultis tantum ornamentis uti queant.

IV. Insuper utuntur ornamentis pontificalibus, falda scilicet memorata, mitra pretiosa (Celebrantes sive praesides), etc., in processionibus sive intra sive extra Cathedralem celebrandis, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum, fontis baptismalis, ac in reliquis functionibus ecclesiasticis, e. g. cum gratiarum actione canitur hymnus *Te Deum* etiam extra Cathedralem sine Capituli assistentia, quoties Ordinarius supramemoratis benedictionibus non assistit, necnon in baptismis. Quaeritur: an haec omnia vestibus ac ritu pontificali utendo peragere praefatis Canonicis fas sit?

Resp. Praenotabimus, « Quodcumque privilegium ad augendam insignium quarumdam Ecclesiarum splendorem ab Apostolica Sede Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis concessum, utpote laesivum dignitati Episcopali, de iure strictissime est interpretandum. Quamobrem nil aliud concessum intelligendium est (*uti iam superius ipsimet innuimus*), nisi illud quod est speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio trahi potest consequentia ad alia, quae singillatim descripta non fuerint (*Decr. Ex Romanor. Pontificum*, n. 5). » Ad quid porro Dignitatibus, in casu, ornamenta pontificalia sunt indulta? Legas num. 5 concessionis, ibique hoc unum reperies, Dignitates uti posse *Indumentis pontificalibus cum potestate celebrandi Missam ritu pontificali ad faldistorium* et quidem, *servatis servandis*. At sane Missam non constituunt processiones, neque Benedictiones quaecumque, neque aliae cuiuscumque generis functiones sacrae, uti collationes Sacramentorum, et Sacramentalium. Quid quod ipsi Abbates ab eiusmodi functiones vetantur? Decretum namque Forojulien. d. d. 19 Iun. 1900, num. 2060 (3566) ad quaesi-

tum « An Abbates in functionibus, quae fieri solent ab iisdem in ambitu Monasterii, ut puta in coemeteriis die Commemorationis omnium Defunctorum, in Dominica palmarum et similibus, possint uti Mitra », simpliciter respondit: « Negative ». Quare autem, nisi quia ipsimet Abbates in sola Missa Vesperis et Matutinis uti possunt pontificalibus ornamentis? Ut consequenter etiam in Ordinationibus, in vestitionibus Monialium, in benedictionibus, *ceterisque actibus*, quaevis pontificalia insignia sint ipsis interdicta *(27 Sept. 1659, n. 1131 (2003) ad 17)*. Ergo ad omnia etiam et singula, quae in hoc Dubio referuntur, non possumus quin negative reponamus, et servanda serventur.

V. Canonici praefati celebrant ritu ac vestibus pontificalibus utentes extra Cathedralem Missam tam in festis quam in exequiis pro defunctis, sine assistentia Capituli. **Quaeritur**: An haec ipsis licita sint?

Resp. Attento **num.** 5 Decreti pluries citati circa Pontificalia Abbatibus concessa, **hi** pontificalia Missarum nequeunt quocumque die celebrare, **neque** in omnibus Ecclesiis, neque in apparatu nigro pro defunctis: quod et praescribitur in Decreto *Ex Roman. Pontificum* ad **num.** 12 et 13 sequentibus verbis: « In Ecclesiis civitatis et dioecesis cum insigniis pontificalibus celebrare ipsis non liceat, nisi in maioribus solemnitatibus, assentiente Episcopo et assistente Capitulo. Numquam vero iisdem utantur in Missis pro defunctis, licet Episcopus assistat cum pluviali et Mitra, sed celebrent more solito ». Quod autem attinet dies, in quibus uti pontificalibus ornamentis pro Missa ii permittuntur, adest eiusdem Decreti num. 11, qui declarat, eos celebrare tantum pontificaliter posse *ruce Episcopi impediti, absentis vel vita functi, aut in quibus Episcopus assistere deberet in pluviali et mitra: in reliquis diebus, etiamsi solemnibus, celebrent more solito.*

Ex quibus sequitur, *a)* Dignitates, in casu nostro, posse quidem Pontificalia Missarum agere etiam in non Cathedrali Ecclesia, in Dioecesi tamen, dummodo in ea celebrare deberet Episcopus, utique assistente Capitulo: secus non possunt. *b)* Etsi Episcopus celebrare Pontificaliter deberet pro Defunctis aut cum pluviali et Mitra assistere, eius loco Dignitatibus celebrare pontificaliter esse vetitum, ut nonnisi *more solito* Missam cantare valeant in casu. *c)* Pontificalia Missarum sub praefatis limitationibus semper iisdem esse vetita, nisi Episcopus assentiat. Apprime itaque praefatae Dignitates sciant, privilegium ipsis concessum nullo pacto unquam favere posse si in Episcopalis Dignitatis auctoritatis detrimentum vergat.

VI. Memorati Canonici praedicantes extra Cathedralem non tantum in Ecclesiis Dioecesis, sed etiam extra illam in alienis Dioecesibus singulariter induunt vestes chorales necnon mantelletum, quod numquam reperitur concessum. Quaeritur: An delatio mantelletti praefatis Canonicis conveniat? An usus individuus vestium atque insignium choralium in quibusvis functionibus sive sacris sive profanis peragendis extra Cathedralem Canonicis licitus sit, cum id varia S. R. C. decreta prohibeant?

Resp. Vestes chorales prohibitae sunt quibuscumque Canonicis, dum verbum Dei annuntiant in Ecclesiis alienis, sive propriae sive, et a fortiori, alienae dioecesis, easque tantum possunt in propria Ecclesia adhibere, ubi sunt Canonici, et satis sit praeter alia referre Gen. Decretum d. d. 31 Maii 1817, die 4 Iulii a Pio Pp. VII confirmatum. « 2. Dignitatibus vero et Canonicis, etiamsi gaudeant indulto deferendi cappam et rocchettum tum in propria quam in alienis Ecclesiis, huiusmodi tamen aliorumque Canonicalium insignium usum extra propriam Ecclesiam licitum esse dumtaxat quando capitulariter vel assistunt vel peragunt sacras functiones; non autem si intersint uti

singuli, nisi speciale privilegium... ad personas extendatur (num. *2579*, (4537) ». Quod et magis explicite Decretum *2578* (4536) declarat ad 2. In eo enim quaeritur: « An teneantur... Canonici cappam deponere, tam intra quam extra Cathedralem, dum verbum Dei praedicant.. »? Et responsum est: Negative in propria Ecclesia, etiam in concionibus aliisque functionibus; excepta Sacramentorum administratione, in qua utendum est superpelliceo et stola. Affirmative extra propriam Ecclesiam, et detur Decretum generale ». Idque pleno iure; namque Canonici, uti tales, in propria tantum sunt Ecclesia, extra ipsam autem nullo iure gaudent. Peculiariter denique notandum, propositis quaesitis ipsam Bullam **Quamvis aequo** exhibere responsum negativum. Nam dictis Dignitatibus et Canonicis concedit ut nedum in propria Ecclesia, « verum etiam extra ipsam quoties Capitulariter sive ad supplicationes publicas sive ad sacra solemnia, sive ad alios ecclesiasticos id *generis* actus conveniant, licite ac libere possint uti illis insigniis et choralibus indumentis».

Quod vero pertinet Mantellettum, abusus est plane manifestus, sive quoad se, quia Dignitatibus in casu non est concessum, uti constat ex enumeratis ab initio privilegiis, sive quoad usum in Ecclesiis alienis: ut proinde, hoc unum in ipsis videamus, argumentum vanitatis, quod sane ploratu dignum est. Subsumere fortasse possent Dignitates et Canonici, id generis ornamentum ab executore Brevis Pii Pp. IX ipsis fuisse concessum. Sed respondemus: aut id esse a veritate alienum, aut certe Executorem praetergressum fuisse confinia potestatis suae. Nam quid concedere Executor poterat Breve praefatum satis expressit; sed de Mantelletto ne verbum quidem. Insuper indumentum istud proprium erat antiqui Capituli extincti, ut proinde cum eo extinctum manserit. Ceterum Praelatorum Episcoporumque tantum est proprium.

VII. In Feria V Maioris Hebdomadae benedictio olei sancti ab Rmo Archiepiscopo Vicario Generali, fit cum reductione diaconorum et subdiaconorum, extra Missam Conventualem et in sacristia Ecclesiae Cathedralis. Quaeritur: an talis prasit ac haberi possit ut legitima, cum neque Pontificale Romanum mentionem faciat de benedictione olei sancti in missa privata Feriae V in Coena Domini, neque Decretum 3044 ad II. eam patiatur extra missam Conventualem, neque reductionem Ministrorum decreta sinant absque Apostolico indulto ?

Resp. Tria consideranda sunt per singula in Dubio proposito. Primum, functio cum reductione Ministrorum : alterum, functio quae extra Missam conventualem peragitur : tertium, locus seu sacrarium. Quod primum spectat reponimus : aut habetur, aut non habetur indultum. Si primum, cessat omnis quaestio: si alterum, praxis sustineri non potest. Indubium est enim ex Decretis talem functionem sic reductam prorsus esse vetitam. Quaerente sane Antonio Fabriziani Caeremoniarum magistro Cathedralis Ecclesiae *Pitilianensis* : « An ex Decretis..... circa consecrationem Oleorum intelligendum sit, quod non solum ob penuriam 12 Presbyterorum, sed etiam ob penuriam 7 Diaconorum et 7 Subdiaconorum requiratur dispensatio » S. R. C. respondit: « Affirmative; seu imploranda est dispensatio a Sancta Sede toties quoties occurrat defectus tum Presbyterorum, tum Ministrorum consecrationis Oleorum Sanctorum (n. **3359** (*5615*), *19 Iun. 1875*). Et notandum pro rei gravitate, hanc dispensationem a S. R. Cong.ne quandoque concessam, uti in *Liburnen.* 7 Febr. 1874, n. **3325** (5577) : quandoque denegatam fuisse, uti in *Corcyren.* 19 Ian. 1608, n. **244** (369), cum responderit: « A regulis praescriptis in libro Pontificali circa confectionem Sacrorum Oleorum non esse recedendum. »

Quod spectat alia duo respondemus maiori quoque se-

curitate et a potiori, esse omnino prohibitum. Quia Pontificale loquitur de Missa in qua *omnibus* Pontificalibus **paramentis** *pretiosis* Episcopus esse debet indutus. Loquitur de *ministris* **paratis** *Pontificis*; et insuper vult, *ultra illos*, ut adsint *Presbyteri*, *Diaconi*, *Subdiaconi*, ipsique *Acolythi*, parati *vestibus Ordini suo congruentibus*. Quae omnia ordinantur ad Pontificalem Missam, eamque in casu exigunt. Pontifex.... **parat se ad Missam**, ait Rubrica; Pontificalis ergo esse debet et nullo pacto privata. Quid enim foret privata Missa cum tanta ministrorum pompa, et solemnitate ac maiestate rituum, nisi novum tessellati operis genus, in sacra Liturgia haud tantum insolitum, sed et contram manifestam legem? Arroges, functionem in sacrario fieri: quod apertae legi pariter contradicit, quae exigit ut Pontifex veniat ad Ecclesiam, non ad sacrarium, Ecclesiamque pluries Rubrica nominat, in qua omnino supponuntur Pontificalia Missarum celebrari. Quid autem dicendum de privatione utilitatis, ne de scandalo dicamus in fideli populo, qui Ecclesiam, non sacrarium petit pro tanta functione, sicut pro ceteris actibus solemnibus sacrae Liturgiae? Quid de sacri actus dedecore, quod contra Dei cultum redundaret? Quid de confusione, quae suboriri facillime posset in sacrario, cum populi clerique dissipatione et admiratione simul?

Iam ab anno 1857 hanc petiit facultatem a Sancta Sede Episcopus Dioecesis *Nominis Iesu*, ut scilicet ante Missam Conventualem sacra Olea consecraret et in Ecclesiam non in sacrario, in eaque communione reficere posset communicaturos, propter defectum Ministrorum, et stomachi debilitatem Sacerdotum. Sed responsum fuit: « Negative in omnibus (*Decr. Nominis Iesu, 9 Maii 1857 num.* **3044** (*5235*) *ad II*) ».

Concludendum proinde sive ex suapte natura, sive ex positivo iure, praefatam praxim esse vetitam.

VIII. In eadem Ecclesia cum Ordinarius Missam pontificalem peracturus est, Canonicus subdiaconus caligas et sandalia ex credentia ad thronum portare renuit, quod eius loco a Beneficiato Crucifero praestatur, neque assistit, dum cubicularius Pontificantem induit caligis et sandaliis. Quaeritur: An talis usus sit tolerandus?

Resp. Lege inspecta Caeremonialis Episcoporum, Subdiaconi cantaturi Epistolam est, qui esse debet *subdiaconalibus paramentis* indutus, afferre ex credentia super *bacili sandalia et caligas...* atque insuper illis Episcopum induere (*Lib. II, Cap. VIII, n. 7*). Cum nihilominus Rubrica dicat, id Subdiaconum agere debere duobus Episcopi scutiferis adiuvantibus, hinc S. R. C. declaravit, hunc actum induendi Episcopum praefatis vestimentis expleri posse ab ipsis scutiferis, exigit tamen ut Subdiaconus, qui ea detulit, assistat, sicque aliquo modo Rubrica observetur. Ita Decretum *Alatrina* d. d. 18 Mart. 1899, **4015** ad II: « Affirmative, *respondit super actu a cubiculariis explendo,* dummodo Subdiaconus, qui caligas et sandalia defert, assistat. » Ergo Subdiaconi est dictas vestes deferre et scutiferis assistere dum iis Episcopum induunt, ut Beneficiatus crucifer munere suo fungi, non alieno, debeat. Concludimus cum verbis ipsiusmet S. R. Cong.nis: « Subdiaconus paratus, etiamsi sit Canonicus, caligas, et sandalia velo tecta ambabus manibus usque ad faciem elevatis portare debet ad Episcopum celebraturum, ut in Caeremoniali Episcop. praescribitur (*Oscen. 16 Mart. 1591 n.* **9** (*15*) *ad 14*), » illique assistere, ut superius eam dixisse retulimus.

IX. Aliqui ex his Dignitatibus et Canonicis, in Missis tum solemnibus tum privatis, tam intra quam extra Cathedralem, annulo cum gemma utuntur. Quaeritur: an delatio annuli illis ut supra licita sit?

Resp. Annulus cum gemma unica, uti alias innuimus.

non quidem Canonicis praefatis, sed Dignitatibus permittitur, uti inter pontificalia ornamenta recensitus (*Decr. ex* **Roman. Pontificum**, *n. 8*). Verum tunc tantum eo uti possunt cum pontificaliter vestiuntur: quod comprobari non potest in Missa privata, imo neque in solemni, nisi in iis diebus, quibus pontificalibus paramentis induuntur. « In reliquis diebus, ait Decretum praefatum, celebrent more solito (*n. 11*) »; ergo sine ornamentis pontificalibus, ac proinde sine annulo. Praeterea num. 24 expressius, quod Missam privatam attinet, dicit: « In Missis privatis, quoad indumenta, caeremonias etc. a simplicibus Sacerdotibus non differant. » Atqui simplici Presbytero annulus nullo pacto competit, ergo neque Dignitatibus, de quibus agimus. Haec quidem ut silentio praetereamus alia plura Decreta, uti 483, 2583 ad 6, 2805, 3408, 3442, 3821. Neque excusatio accipiatur a consuetudine, quae abusus nomine vocanda est; et ultimum maxime ex relatis Decretis, annulum prohibet, non obstante quacumque consuetudine. Hinc patet negativa responsio ad propositum dubium, illiusque ratio.

Hoc pro Dignitatibus; sed quid pro Canonicis? Reponimus, ipsis non competere Pontificalium usum; ergo neque annulum, quatenus pontificale ornamentum. Sed tamen aliqui ex his annulum gestant in omnibus Missis, intra et extra Ecclesiam Cathedralem: quid? Respondemus, annulum hunc esse prorsus prohibitum in quibusvis functionibus, nilque aliud esse quam abusum. Namque dictum privilegium nusquam ipsis concessum legitur; et Canonicis Ecclesiae Cathedralis de Nicaragua dictum annulum semper gestantibus, exclusa Missa, a S. R. C. responsum fuit: « Negative in omnibus, nisi habeatur speciale indultum a S. Sede, et Episcopus curet ut quamprimum hi abusus tollantur (*n. 2318 (5452, 20 Augustus 1870* ».

X. In pluries laudata Ecclesia quotiescumque R.mus Archiepiscopus Vicarius Generalis divinis officiis assistit, Ca-

nonici eum sedere non sinunt in primo loco a cornu Evangelii, ubi Ordinarii thronus erigitur, supra omnes Canonicos et Dignitates, sed illi tantum sedem concedunt a cornu Epistolae supra omnes Canonicos et Dignitates. Non aliter se gerunt cum Episcopis suffraganeis, imo cum Metropolitis aliarum provinciarum, qui forte una alterave vice tanquam hospites divinis officiis assistunt. Quaeritur: An huiusmodi usus sit tolerandus?

Resp. Negative, cum non usus sit, sed abusus. Primo, quia laesivum est Dignitatis Archiepiscopalis. Secundo, quia prorsus indecorum est ut Canonici, esto Dignitates, praecedentia gaudeant prae quocumque Episcopo. Tertio denique, quia eiusmodi corruptelam damnant, seu Caeremoniale Episcoporum, seu Decreta plurima. Notandum imprimis Vicario Generali, uti tali ac relativa veste induto, deberi praecedentiam super omnes Canonicos et Dignitates, paratis tantum exceptis. Quid, quod in casu Vicarius Generalis Archiepiscopus est? « Si sedem, ait cl. de Herdt, distinctam non habeat (*uti in casu nostro comprobatur*), ei debetur primum stallum in choro, ita ut tunc prima Dignitas stallum suum et primum locum, honoris causa, Vicario Generali cedere debeat (*Prax. pont. Tom. I, n. 111, a*) ». Id autem iure docet, utpote Decretis innixus; Decretum enim in *Urbevetana* exigit « ut (Vic. Gen.) sedeat **primus** inter Dignitates et Canonicos (*3 Aug. 1737* n. **2331** (*4062*) *ad 5*). Alterum in *Aquaependen.* decernit: « Vicario (*utique Gen.*) deberi primum et digniorem locum a parte dextera, in casu de quo, agitur (*20 Dec. 1692*, n. **1886** (*3296*) *ad 1*) ». Ait autem *in casu de quo agitur*; quia pars dextera, loco throni inspecto, ipsa est dignior. Alia omittimus brevitatis ergo, cum ceterum res sit omnino certa in casu nostro, quod de Vicario Gen. agatur, qui Archiepiscopali dignitate fulget. Quod vero spectat Caeremoniale Episcoporum lex est, ipsos Episcopos hospites se-

dere *in digniori loco* post Episcopum dioecesanum, super **omnes** Canonicos (*Lib. I, Cap. XIII, n. 9*). » Quanto ergo magis locus honoris competit Episcopo Vicario Generali? Quod si Vicario Generali Caeremoniale alibi assignat locum *pro consuetudine Ecclesiarum*, uti Libro et Capite citatis, n. 12, notandum est, ibi non supponi Vicarium Generalem esse Episcopum, cum ceterum illi habitu solum praelatitio induto semper praecedentia competant super omnes Canonicos et Dignitates, uti superius dictum est, seu vi Caeremonialis, seu vi Decretorum legem Caeremonialis explicantium, et quidem, sive absente, sive praesente Ordinario.

XI. In quampluribus functionibus Capituli, laici viri et feminae, presbyterium ingrediuntur ibique sedentes divinis officiis assistunt, et, quod magis mirandum, una alterave vice, assentiente Canonico Cantore, iam in Canonicorum, Beneficiatorum atque Capellanorum scamnis sederunt! Quaeritur: an ingressus presbyterium ut supra prohibendus sit omnibus laicis cuiuscumque generis sive conditionis, rege excepto?

Resp. Affirmative. Certum exploratumque est, presbyterium esse locum sacris functionibus destinatum, in eoque clericos sive eas persolventes sive illis assistentes et praesentes esse tantum posse. Caeremoniale verba facit de sedibus, et ait: « Sedes autem pro nobilibus atque illustribus viris laicis, Magistratibus ac Principibus, quantumvis magnis et primariae nobilitatis, plus minusve, pro cuiusquam dignitate et gradu ornatae, debent extra chorum et presbyterium collocari, iuxta sacrorum Canonum praescriptum laudabilisque antiquae disciplinae documenta, iam inde ab exordiis christianae religionis introductae ac longo tempore observatae (*Lib. I, Cap. 13, n. 13*) ». Quem textum commentans cl. de Herdt, scribit: « Laicis in choro et presbyterio sedere et locum habere non licet, nec etiam Officialibus saecularibus, nec magistratui, nec nobilibus,

nequidem in Ecclesiis Regularium. Quinimo saecularibus chorum et presbyterium infra officium divinum intrare non licet (*Ib. loc. cit.*) » Hoc autem Decretis pluribus, quae citat, munit: aliqua ex his referimus. Decretum *Compostellana* declarat: « Non licere nec permitti debere laicis, dum divina officia in ipsa Ecclesia peraguntur, inter Prebendatos ac Ministros, in choro stare vel sedere etc. (*21 Febr. 1604*, n. **157**) (233). » Aliud in *Senogallien.* docet: « Saecularibus ac etiam aliis ascendere chorum et Presbyterium ad audiendas Missas et conciones nec non ad interessendum divinis Officiis et Benedictionibus SS. Sacramenti **non licere** (*28 Apr. 1663, n.* **1258** (*2215*) *ad 2*). » Tertium in *Oriolen.* quaerit: « Num Congregati laici possint ingredi presbyterium, ibique per aliquod tempus orationi vacare? » Hoc in Dubio III; et in IV quaerit: « Num ingressus in presbyterium, de quo in praecedente dubio, permittatur etiam dum in choro celebratur divinum Officium? « Iam audi responsum: « Ad III. Negative etc. Ad IV. Provisum in tertio (*22 Ian. 1876*, n. **3388** (*5650*) *ad II et III*). » Ex his atque aliis, quos brevitatis gratia praeterimus, abunde patet ratio affirmativae, quam dedimus, responsionis.

XII. In eadem Ecclesia missa aurorae in Nativitate Domini hora decima ordinarie celebratur absque cantu, et quandoque hora 2 circiter post mediam noctem cum cantu, idque vi antiqui privilegii, a Benedicto XIV concessi. An haec praxis toleranda in praefata cathedrali?

Resp. Certe specialis Rubrica Missalis vocat primam ex tres Missis Nativitatis Domini, Missam *in Nocte*, alteram *in Aurora*, tertiam *in die Nativitatis*. Rubrica vero Gen. ait: « Excipiuntur... Missae in Nativitate Domini, quarum prima dicitur post mediam noctem, finito *Te Deum laudamus* in Matutino: secunda in Aurora: tertia vero in die post Tertiam, vel ubi aliter ex dispensatione Apo-

stolica disponatur (*Tit. XV, n. 4*). » Fatendum est quidem, hanc Rubricam circa tempus generaliter non tantae gravitatis esse, ut dispensari non possit. Hinc privatim celebrantes ad eiusmodi tempus attendere non tenentur. Nihilominus Rubrica haec cum peculiariter Collegiales spectet Ecclesias, ab his, nisi apostolica dispensatio intercedat, servari debet, cum tres Missae relativo tempore canendae mysteriis non vacent. Hinc rogata S. R. C. « An, stante consuetudine... a Canonicis omitti possit in die Nativitatis Domini secunda Missa, quae in Aurora illius diei celebranda a Rubricis Breviarii praescribitur », respondit: « Negative (*27 Mart. 1824*, n. **2631** (*4603*) *ad 1 Tiburtina*) ». Quid Sacrum Tribunal Capitulo, de quo agimus, respondisset, a quo Missa quidem Aurorae dicitur, sed extra praescriptum tempus, quo tertia canenda esset, quae consequenter nimis differtur? Arroges, Capitulum *Atrien.* cum quaesiisset a S. R. Cong.ne dispensationem a cantu Missae Aurorae, ut posset legi sine interventu Canonicorum, idque ob aeris inclementiam, et Capitularium valetudinem infirmam, denegata illi fuit dispensatio et concessum tantum, ut persolverent Laudes lectas post primam Missam, et secundam Missam celebrarent prima vel secunda hora post ortum solis (*19 Maii 1838, n.* **2778** (*4829*) *Atrien*). Videant ergo quanti facienda sit Rubrica de tempore et cantu harum Missarum, eamque observare Canonicis studeant, unamquamque praescripto tempore et cum cantu celebrando, donec Apostolicam saltem dispensationem impetraverint.

Ceterum tres istae Missae conventuales sunt, et gravis incumbit, hac de causa, Capitulo obligatio eas non solum celebrandi, sed et canendi cum assistentia Canonicorum. Inter eas autem prima et ultima, ait De Herdt, solemnissimae sunt, media est minus solemnis (*Prax. Pont. lib. 2, Cap. 15, n. 246 l. a*). Si ergo Missam Aurorae

dicunt, quamvis non canant, hora decima, nimis differunt ergo ultimam; sed quo iure? Quid autem, quod sine cantu persolvitur?

Quid denique, quod eamdem Missam aliquando post mediam noctem celebrant licet cum cantu? Afferunt quidem Indultum antiquum, sed nesciunt ne, hoc Indultum omni esse impraesenti destitutum vi? Namque omnia privilegia et iura per Gregorii XVI Constitutionem cessarunt penitus, cum ea declaret antiquum Capitulum plane suppressum: Capitulum « penitus extinguimus. » Suppresso proinde extinctoque Capitulo, necesse ut quaevis illius iura ac privilegia penitus suppressa extinctaque maneant. Aliud autem per eamdem Constitutionem erigitur cui illa tantum iura et privilegia competant, quae per Sacros Canones illi attribuuntur. Antiqua ergo iura et privilegia, si quae fuerint, inaniter invocantur, cum invocari nequeat quod est penitus extinctum et amplius non existit.

Eapropter concludimus, hanc quoque praxim sustineri non posse; sed tres Missas, de quibus est quaestio, canendas esse tempore suo, primam scilicet post mediam noctem, alteram in Aurora, tertiam in die post Tertiam, donec aliter Indultum Apostolicum non disponat.

ALIA DUBIA.

I. Alia, quae praeter dicta, proponuntur Dubia, breviori calamo, quippe minoris sunt difficultatis, resolvimus.

1. Canonici « in assistentia Missae privatae Episcopi, adhibeant solummodo Rochettum cum superpelliceo (*Decr. in Goana 16 Iun. 1893 ad 1. num. 3804*) ».

2. Organorum sonitus permittitur in Dominicis et festis; sed « inter eas non commemorantur Dominicae Adventus et Quadragesimae... exceptis... feria V in Coena Domini ad **Gloria in excelsis Deo**, et Sabbato Sancto ad

Gloria in excelsis Deo *(... Caerem. Epis. Lib. 1, Cap. 28 n. 2)* ». Ergo prohibitus est feria V in Coena Domini, uti in Sabbato Sancto, excepta relata parte, feriis IV, V et VI maioris hebdomadae pariter ad cantus Lamentationum, Responsoriorum, et psalmi *Miserere*. Imo addendum, praxis eiusmodi sonitus, si invecta fuerit, « tolerari non potest (*Decr. in Goana supr. citat. ad 2*) ». Item iisdem in casibus « tolerari non potest usus adhibendi cymbalum seu pianoforte in Matutinis Tenebrarum (*Bonaeren. 7 Iul. 1899 ad 1. n. 4044*).

3. Praxis ex qua Canonici eximuntur ab assistentia Vic. Gen. Episcopo praestanda, dum sacra Olea conficit, prava est et contra legem: quae statuit, eos teneri ad dictam Assistentiam, sicut in aliis functionibus stricte Episcopalibus (*Capuana 5 Mart. 1898 ad 1. num. 3984*). Haec tamen functio neque in Missa privata, neque et multo minus in sacrario fieri debet, sed in solemni et in Ecclesia, uti alias expositum est.

4. Abusus est non tolerandus ut Beneficiati parati, inferiores Canonicis considerentur, quod attinet thurificationum numerum. Hinc S. R. C. declarat: « Beneficiati, quotiescumque fuerint sacris vestibus induti, semper **debeant, ad instar Canonicorum, duplici** thuribuli **ductu turificari**, (quamvis) post Canonicos (*Galtellinen. Noren.* **3280** (5522), 28 sept. 1872) ».

5. Expositio solemnis cum Ostensorio ad hostiolum tabernaculi repugnat omnium Ecclesiarum consuetudini et Caeremoniali Episcoporum. Aut privata sit, et tunc Sacramentum manere debet clausum in pyxide intra tabernaculum, hostiolo aperto: aut solemnis sit, et Ostensorium solemniter ostendendum est populo super throno elevato, vel etiam super altaris mensa, si tamen desuper pensile Baldachinum habeatur.

6. Consuetudo, ex qua Canonici, Sacramento extante

ad solemniorem Missam super altare, ad circulum eorum Episcopo perficiendum accedunt, quin genuflectant, sustineri non potest, utpote Caeremoniali Episcoporum, et omnibus Rubricis adversa. Codex loquens de his circulis ait: « Et tunc, dum veniunt (Canonici) ad circulum et dum discedunt, ambobus genibus versus altare **genuflectant** propter reverentiam SS. Sacramenti (*Lib. I, Cap. 21, n. 3*) » Nullam autem ex Rubricis reperies, quae transeunti ante Sacramentum, quicumque is sit, non excluso Summo Pontifice, genuflexionem non praescribat.

7. Caeremoniale Episcoporum vetat expresse formale adhibendum seu Digniori ex Canonicis assistenti, seu aliis, dicens: « Ipse simul (*Assistens*) cum aliis Canonicis capiet paramenta, videlicet amictum super rochettum, et super eo pluviale... **sine tamen formalio ad pectus** (*Lib. I, Cap. VII, n. 1*) ». Praeterea, quid Canonicis et formali? S. R. C. declarat, « pectorale seu formale esse ornamentum privative ab Episcopo adhibendum »; neque illo uti posse primam aliasque Dignitates et Canoncos, non obstante contraria consuetudine (*Casalen. n. 2426 (4236), 15 Sept. 1753 ad 9*). » Ergo illius usus removendus ut abusus.

8. S. Pius V. in Bulla **Quod a Nobis** Breviario praemissa dum dispensat ab Officio B. M. V. recitando, ab officio defunctorum et psalmis poenitentialibus et Gradualibus, expresse notat: « peccati quidem periculum ab ea praescriptione removendum duximus »; ergo indubie sub peccato pro non dispensatis dicta Officia praescribuntur. Qui autem dispensantur, vel ad tempus dispensari possunt, vel in perpetuum: si hoc, peccati periculum semper est remotum: si illud, remotum est, indulto perdurante, quo cessante, cessat et remotio periculi. Consequenter, tempore dispensationis finito, sicut non dispensati, dicta officia omittentes in choro, indubie peccant, praxim sequentes con-

tradicentem praefatae Bullae: ut nil dicamus de pluribus Decretis S. R. C. eidem Bullae inhaerentibus.

9. Certum exploratumque est, nulli Episcopo, Archiepiscopo, Primati, Patriarchae, sed **Romano Pontifici** tantum auctoritatem inesse Insignia concedendi Canonicis, vel quibuscumque aliis Sacerdotibus: id probatione non indiget. Hinc, cum S. R. Congni expositum fuerit, Archiepiscopum Hydruntinum, sine sanctae Sedis auctoritate, concesisse Canonicis caputium violaceum, licet antea nigro uterentur, eadem S. C. « omnia in pristinum esse reducenda **ordinavit**, ac si nihilum per (*dictum*) Archiepiscopum... concessum fuisset (*Hydruntina*, **301** (460), 1 *Sept. 1612*) ». Hinc, ii quorum interest, de facto iudicent.

10. Si secretarium, seu sacellum a choro separatum non adsit, ad Episcopum pontificaliter induendum processio solemnis ad altare chori omittenda est. Id aperte praescribit Decretum in una *Casalen.* dicens: «... Si desit Secretarium, in qua id fieri possit (*Horam tertiam cantare*), praedicta Hora cantanda est eodem in loco, in quo cantatur Missa: **omitti tamen debet in hoc casu processio** (n. **3228** (5462) (*20 Aug. 1870 ad 1*). Suffragatur et ratio, vel enim pro dicta processione in casu locus aptus non datur, vel si detur, admissa chori amplitudine, novitatem redolet. Quod si consuetudo de illa agenda fuerit invecta consultius est ut abrogetur, vel ut Secretarium, seu altare aliquod ad paramenta sumenda destinetur, a choro remotum, et ab illo tunc fiat processio ad altare chorale.

11. *a*) Caeremoniarum magistri in Cathedralibus Ecclesiis esse debent **duo**, si tamen fieri possit, ait Caeremoniale Episc. (*Lib. I, Cap. V, n. 1*). II. De Herdt, notat (*Ibid.*) duos regulariter assumendos, *si fieri posset*, quamvis unus sufficere etiam posset. « Non autem, prosequitur Commentator, significant (*praefata verba*), plures quam duos esse constituendos; non enim dicitur *duo ad minus*.

sed *duo si fieri possit;* et Caeremoniale et Decreta tantum loquuntur de duobus, non autem de tribus aut pluribus. Ratio est concordiae necessitas, quo enim plures fuerint, eo difficilior erit concordia ». Notes autem velis, subministros, de quibus Caeremoniale Episc. Lib. I Cap. V, n. 6, non esse Caeremoniarum magistros, uti ex officiis, quae illis idem Codex assignat, satis abunde patet.

b) Hi autem uti possunt veste violacea in functionibus, nisi de facto, saltem de iure, episcopalibus; idque, ait S. R. C., *ex dispositione Caeremonialis* **non vero ex dispositione Capituli** (*Aquilana n.* **2310** (4028), *22 Jan. 1735 ad 3*). Hinc sequitur, eos violacea veste indutos esse posse quoties Episcopus vel per se vel alium (1) celebrat, ut Capitulum ei assistat. In aliis quibuscumque casibus, sive intra sive extra Cathedralem violacea veste utendi ius Caeremoniarum magistri non habent. Consuetudo proinde contraria Caeremoniali Episcoporum et Decretis sustineri nullo pacto potest

12. Nihilominus Canonici ad sustinendos hucusque relatos usus affirmant, — *a*) se antiqui Capituli privilegiorum esse heredes, — *b*) antiquas consuetudines et praxes inde ab erectione novae Cathedralis anno 1843 per Bullam « Quamvis Aequo » Gregorii XVI facta invectas esse servandas.

Respondemus. *a*) Canonicos, de quibus in casu, hereditate accepisse privilegia antiqui Capituli esse prorsus

---

(1) Ita nos exprimimus; quia functionibus Episcopalibus semper Capitulum assistere debet, etsi non Dioecesanus sed alius celebret Episcopus, de illius, uti patet, consensu: secus Capituli assistentia supponi non posset. Hoc autem non solum in Cathedrali, sed in aliis quoque Ecclesiis evenire posset. Dioecesis tamen, alias assistentia Capituli repugnaret. V. Decretum Vicen. relat. in Ephemeridibus Liturg. 1900. pag. 258 et seq.

absurdum. Quod enim non existit nullam potest hereditatem constituere, et ab altero transire ad alterum nequit. Iam nunc fatendum nobis est, quamplura privilegia antiquiori Capitulo concessa quidem fuisse a Clemente Pp. XI per Constitutiones **In supremo Apostolatus** d. d. 7 Nov. 1716, et **Gregis Dominici** d. d. 3 Ian. 1218? Haec tamen per aliam posteriorem Constitutionem **Quamvis aequo**, quam Summus Pontifex Gregorius XVI anno 1843 edidit, penitus abrogavit, illudque Capitulum ad nihilum redegit. En textualia verba huiusce Constitutionis ad rem facientia: »... Motu proprio.., deque Apostolicae potestatis plenitudine... funditus perpetuoque cum omnibus hucusque habitis et quomodocumque quaesitis vel adhibitis iuribus, privilegiis, praerogativis, honoribus, cum toto denique primaevo statu suo... **Capitulum**... erectum... sub titulo... **supprimimus**... abolemus... penitus extinguimus... Erigimus atque in perpetuum constituimus Capitulum... (*aliud videlicet*) cum omnibus quidem iuribus, honoribus et oneribus... per sacros Canones attributis ». Frustra igitur antiqui Capituli iura et privilegia invocantur, eorumque Canonici praesentes appellantur heredes, cum nulla esse possit hereditas. Illa autem iura et privilegia his tantum competere possunt, quae per novam Constitutionem Gregorii XVI iisdem obveniunt, nec non illa quae postmodum concessa fuere a Pio Pp. IX per ultimam Constitutionem **Iam inde**. Ea vero quae antiquiori aetate fuerunt indulta, penitus cessarunt, utpote revocata.

b) Quod vero consuetudines spectat, animadvertimus primo, eas nec adeo esse antiquas, ut immemorabiles dici queant. Secundo cum initium eae habuerint contra vigentia Decreta et Rubricas, contra quas praescribi nequit, easdem consuetudines non esse attendendas, utpote corruptelas, saltem nisi S. R. C. contrarium declaret. Tertio iure sustineri potest, eas non ad Dei cultum conferre, sed

ad privatorum commodum, nisi ad eorum quoque ambitionem demonstrandam, ut nec laudabiles appellari possint. Etenim ipsa quaecumque inveterata consuetudo **derogare non potest** legi a Decretis S. R. Congnis praescriptae (*Tricentina n.* **2792** (4861) *3 Aug. 1839, ad* 2).

c) Nescimus tandem, an cohonestari eaedem consuetudines velint cum Statutis capitularibus. Sed reponimus, in hac hypothesi, neque ipsa Statuta invocari posse, cum in Statutis atque Constitutionibus capitularibus nihil reperiri debeat « quod a iuris dispositione et Congregationum Decretis usuque recepto et approbato exorbitet (*Conc. Rom. Tit. II et V*) : » quod Concilium profecto normam ac regulam generalem pro omnium Ecclesiarum Cathedralium Constitutionibus et Statutis condendis efformat.

APPENDIX

CONSTITUTIO APOSTOLICA

De Religiosorum Institutis vota simplicia profitentium.

Conditae a Christo Ecclesiae ea vis divinitus inest ac fecunditas, ut multas anteactis temporibus, plurimas aetate hac elabente utriusque sexus tamquam familias ediderit, quae, sacro *votorum simplicium* suscepto vinculo, sese variis religionis et misericordiae operibus sancte devovere contendunt. Quae quidem pleraeque, urgente caritate Christi, singularis civitatis vel dioecesis praetergressae angustias, adeptaeque. unius eiusdemque vi legis communisque regiminis, perfectae quamdam consociationis speciem, latius in dies proferuntur. — Duplex porro earumdem est ratio: aliae, quae Episcoporum solummodo approbationem

nactae, ob eam rem *dioecesanae* appellantur; aliae vero de quibus praeterea romani Pontificis sententia intercessit, seu quod ipsarum leges ac statuta recognoverit, seu quod insuper commendationem ipsis approbationemve impertiverit.

Iam in binas huiusmodi religiosarum Familiarum classes quaenam Episcoporum iura esse oporteat, quaeque vicissim illarum in Episcopos officia sunt qui opinentur incertum controversumque manere. — Profecto, ad *dioecesanas* consociationes quod attinet, res non ita se dat laboriosam ad expediendum; eae quippe unâ inductae sunt atque vigent, Antistitum sacrorum auctoritate. At gravior sane quaestio de ceteris oritur, quae Apostolicae Sedis comprobatione sunt auctae. Quia nimirum in dioeceses plures propagantur, eodemque ubique iure unoque utuntur regimine; ideo Episcoporum in illas auctoritatem opus est temperationem quamdam admittere certosque limites. Qui limites quatenus pertinere debeant, colligere licet ex ipsa decernendi ratione Sedi Apostolicae consueta in eiusmodi consociationibus approbandis, scilicet certam aliquam Congregationem approbari ut piam Societatem votorum simplicium, *sub regimine Moderatoris generalis, salva Ordinariorum iurisdictione, ad formam sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum.* — Iamvero perspicuum inde fit, tales Consociationes neque in *dioecesanis* censeri, neque Episcopis subesse posse nisi intra fines dioecesis cuiusque, incolumi tamen supremi earumdem Moderatoris administratione ac regimine. Qua igitur ratione summis societatum harum Praesidibus in Episcoporum iura et potestatem nefas est invadere; eâdem Episcopi prohibentur ne quid sibi de Praesidum ipsorum auctoritate arrogent. Secus enim si fieret, tot moderatores istis Congregationibus accederent, quot Episcopi, quorum in dioecesibus alumni earum versentur; actumque esset de administrationis unitate ac regiminis. — Concordem atque unanimem Praesidum Congregationum atque Episcoporum auctoritatem esse oportet; at ideo necesse est alteros alterorum iura pernoscere atque integra custodire.

Id autem ut, omni submota controversia, plene in posterum fiat, et ut Antistitum sacrorum potestas, quam Nos, uti par est, inviolatam usquequaque volumus, nihil uspiam detrimenti capiat;

ex consulto sacri Consilii Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositi, duo praescriptionum capita edicere visum est ; alterum de Sodalitatibus quae Sedis Apostolicae commendationem vel approbationem nondum sunt assecutae, alterum de ceteris, quarum Sedes Apostolica vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit.

Caput primum haec habet servanda :

I. Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in dioecesim recipere, quam leges eius constitutionesque cognorit itemque probarit ; si videlicet neque fidei honestative morum, neque sacris canonibus et Pontificum decretis adversentur, et si apte statuto fini conveniant.

II. Domus nulla novarum sodalitatum iusto iure fundabitur, nisi annuente probante Episcopo. Episcopus vero fundandi veniam ne impertiat, nisi inquisitione diligenter acta quales sint qui id poscant : an recte probeque sentiant, an prudentia praediti, an studio divinae gloriae, suaeque et alienae salutis praecipue ducti.

III. Episcopi, quoad fieri possit, potius quam novam in aliquo genere sodalitatem condant vel approbent utilius unam quamdam adsciscent de iam approbatis, quae actionis institutum profiteatur adsimile. — Nullae fere, ni forte in *Missionum* regionibus, probentur sodalitates, quae, certo proprioque fine non praestituto, quaevis universe pietatis ac beneficentiae opera, etiamsi penitus inter se disiuncta, exercenda amplectantur.

Episcopi sodalitatem condi ullam ne siverint, quae redditibus careat ad sodalium victum necessariis. — Sodalitia, quae stipe collaticia vivant : item muliebres familias, quae aegrotis, domi ipsorum, interdiu noctuque adsint, cautissime, quin etiam difficulter comprobent. — Si quae autem nova feminarum sodalitas eo spectet ut suis in aedibus valetudinaria aperiat viris promiscue mulieribusve excipiendis: vel similes domos excipiendis sacerdotibus, qui Sororum curâ atque opera aegrotantes leventur ; eiusmodi proposita Episcopi ne probent, nisi maturo adhibito severoque consilio. — Praeterea Episcopi religiosarum domus, ubi viris feminisve peregre advenientibus hospitium victusque accepto pretio suppeditetur, nequaquam permittant.

IV. Sodalitas quaevis dioecesana ad dioeceses alias ne transgrediatur, nisi consentiente utroque Episcopo, tum loci unde excedat, tum loci quo velit commigrare.

V. Sodalitatem dioecesanam si ad dioeceses alias propagari accidat, nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum Episcoporum consensu, quorum in dioecesibus aedes habeat.

VI. Semel approbatae sodalitates ne extinguantur, nisi gravibus de causis, et consentientibus Episcopis, quorum in ditione fuerint. Singulares tamen domos Episcopis, in sua cuique dioecesi, tollere fas est.

VII. De puellis habitum religiosum petentibus, item de iis quae, probatione expleta, emissurae sint vota, Episcopus singulatim certior fiat; eiusdem erit illas et de more explorare et, nihil si obstet, admittere.

VIII. Episcopo alumnas sodalitatum dioecesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis aeque ac temporariis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendae perpetuo castitatis. Cavendum tamen ne istiusmodi remissione ius alienum laedatur; laedetur autem, si insciis moderatoribus id fiat iusteque dissentientibus.

IX. Antistitae, ex constitutionum iure, a Sororibus eligantur. Episcopus tamen, vel ipse vel delegato munere, suffragiis ferendis praeerit: peractam electionem confirmare vel rescindere integrum ipsi est pro conscientiae officio.

X. Dioecesanae cuiusvis sodalitatis domos Episcopus invisendi ius habet, itemque de virtutum studio, de disciplina, de oeconomicis rationibus cognoscendi.

XI. Sacerdotes a sacris, a confessionibus, a concionibus designare, item de sacramentorum dispensatione statuere munus Episcoporum est, pro sodalitatibus dioecesanis pariter ac pro ceteris; id quod in capite consequenti (num. XIII) explicate praefinitur.

Alterum praescriptionum caput, de Sodalitatibus, quarum Apostolica Sedes vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit, haec habent servanda:

I. Candidatos cooptare, eosdem ad sacrum habitum vel ad

profitenda vota admittere, partes sunt Praesidum sodalitatum: integra tamen Episcopi facultate, a Synodo Tridentina tributa (1), ut, quum de feminis agitur, eas et ante suscipiendum habitum et ante professionem emittendam ex officio exploret. Praesidum similiter est familias singulas ordinare, tirones ac professos dimittere, iis tamen servatis quaecumque ex instituti legibus pontificiisque decretis servari oportet. — Demandandi munera et procurationes; tum quae ad universam sodalitatem pertinent, tum quae in domibus singulis exercentur, Conventus seu *Capitula*, et Consilia propria ius habent. In muliebrium autem sodalitatum Conventibus ad munerum assignationem, Episcopus, cuius in dioecesi habentur, per se vel per alium praerit, ut Sedis Apostolicae delegatus.

II. Condonare vota, sive ea temporaria sint sive perpetua, unius est romani Pontificis, immutandi constitutiones, utpote quae probatae a Sede Apostolica, nemini Episcoporum ius datur. Item regimen, quod penes moderatores est, sive sodalitatis universae sive familiarum singularum ad constitutionum normam, Episcopis mutare temperare ne liceat.

III. Episcoporum sunt iura, in dioecesi cuiusque sua, permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi, item nova ab illis templa excitari, oratoria seu publica seu semipublica aperiri, sacrum fieri in domesticis sacellis, Sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium. Episcoporum similiter est sollemnia et supplicationes, quae publica sint ordinare.

IV. Domus sodalitatum huiusmodi si *clausura episcopali* utantur, Episcopis iura manent integra, quae de hac re a pontificiis legibus tribuuntur. Si quae autem *clausura*, ut inquiunt, *partiali*, utantur, Episcopi erit curare ut rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere.

V. Alumni alumnaeve sodalitatum harum *forum internum* quod attinet, Episcopi potestati subsunt. In *foro* autem *externo*, eidem subsunt quod spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem quae non sint uni summo Pontifici reser-

(1) Sess. XXV, cap. XVII, de Regul. et Monial.

vata, publicarum precum indictionem, dispensationes concessionesque ceteras, quas Antistites sacrorum fidelibus suis impertire queant.

VI. Si qui vero ad sacros ordines promoveri postulent, eos Episcopus, etsi in dioecesi degentes, initiare caveat, nisi hisce conditionibus : ut a moderatoribus quisque suis proponantur; ut quae a iure sacro sancita sunt de *litteris dimissorialibus* vel *testimonialibus*, sint rite impleta; ut *titulo sacrae ordinationis* ne careant, vel certo eo legitime eximantur; ut theologiae studiis operam dederint, secundum decretum *Auctis admodum*, die datum IV novembris anno MDCCCXCII.

VII. In sodalitates, quae mendicato vivunt, ea Episcopis stent iura, quae habet decretum *Singulare quidem* a sacro Concilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito promulgatum die XXVII martii anno MDCCCXCVI.

VIII. In iis quae ad spiritualia pertinent subduntur sodalitates Episcopis dioecesium in quibus versantur. Horum igitur erit sacerdotes ipsis et a sacris designare et a concionibus probare. Quod si sodalitates muliebres sint, designabit item Episcopus sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extra ordinem, ad normam constitutionis *Pastoralis curae*, a Benedicto XIV decessore Nostro editae, ac decreti *Quemadmodum*, dati a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito, die XVII decembris anno MDCCCXC: quod quidem decretum ad virorum etiam consociationes pertinet, qui sacris minime initiantur.

IX. Bonorum, quibus Sodalitia singula potiuntur, administratio penes Moderatorem supremum maximamve Antistitam eorumque Consilia esse debet; singularum vero familiarum redditus a praesidibus singulis administrari oportet, pro instituti cuiusque legibus. De iis nullam Episcopus rationem potest exigere. Qui vero fundi certae domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam; horum administrationem Moderator quidem domus gerat, referat tamen ad Episcopum, eique se omnino praebeat obnoxium: ita nimirum ut neque Praeposito neque Antistitae sodalitii universi liceat quidquam ex iis bonis Episcopo occultare, distrahere, vel in

alienos usus convertere. Talium igitur bonorum Episcopus rationes accepti impensique, quoties videbitur, expendent; idem ne sortes minuantur, redditus ne perperam erogentur, curabit.

X. Sicubi sodalitatum aedibus instituta curanda adiecta sint, uti gynaecea, orphanotrophia, valetudinaria, scholae, asyla pueris erudiendis, Episcopali vigilantiae ea omnia subsint quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris tamen privilegiis, quae collegiis, scholis, institutisve eiusmodi a Sede Apostolica sint tributa.

XI. In quarumlibet sodalitatum domibus vota simplicia profitentium, Episcopis cuiusque dioecesis ius est invisendi templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum poenitentiae, de iisque opportune statuendi, iubendi. — In presbyterorum sodalitiis, de conscientia ac disciplina, item de re oeconomica uni praesides cognoscent. In consociationibus vero feminarum, aeque ac virorum qui sacerdotio abstinent, Episcopi erit inquirere num disciplina ad legum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum, num sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur. — Reprehensione dignum si quid Episcopus forte offenderit, ne decernat illico: Moderatores uti prospiciant moneat; qui si neglexerint, ipse per se consulat. Si quae tamen maioris momenti occurrant quae moram non expectent, decernat statim: decretum vero ad sacrum Consilium deferat Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositum.

Episcopus, in visitatione potissimum, iuribus, quae supra diximus, utatur suis quod spectat ad scholas, asyla ceteraque memorata instituta. — Ad rem vero oeconomicam quod attinet muliebrium sodalitatem itemque virorum sacerdotio carentium Episcopus ne cognoscat nisi de fundorum legatorumve administratione, quae sacris sint attributa, vel loci aut dioecesis incolis iuvandis.

His porro, quae hactenus ediximus, sancivimus, nihil penitus derogari volumus de facultatibus vel privilegiis, tum Nostro aut quovis alio Sedis Apostolicae decreto concessis, tum immemorabili aut saeculari consuetudine confirmatis, tum etiam quae in

alicuius Sodalitatis legibus a romano Pontifice approbatis contineantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo umquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus: irritum quoque et inane declarantes si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari: contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo noningentesimo, sexto idus decembres, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

C. Card. ALOISI MASELLA Pro-Dat.

A. Card. MACCHI

VISA

De Curia I. De Aquila E. Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium.

I. Cugnonius.

MONITUM

Summus Pontifex Leo Pp. XIII alteram emanavit Constitutionem, vi cuius concreditum Illi thesaurum Indulgentiae sacrae qui anno exacto Romae tantum patuit amplissime, eumdem di-

midiato anno proximo in toto orbe catholico patere universitati christifidelium iubet. Itaque Iubilaeum magnum ad universum catholicum orbem extendit ac **sex mensium spatio prorogat**, et pro extenso prorogatoque haberi vult. Quapropter omnibus christifidelibus in quacumque ora ac parte terrarum existentibus, etiam iis qui forsan elapso anno Sacro Romam venerunt, ibique seu alibi quavis ratione hoc idem Iubilaeum adepti sunt, qui intra sex menses a die publicationis suarum Litterarum in qualibet Dioecesi factae computandos, statutas Ecclesias visitaverint ac reliquas conditiones impleverint, plenissimam peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam misericorditer in Domino Sanctitas Sua concedit et impertit. Anno Incarnationis Dom. MXM Octavo Calendas Ianuarii, Pontificatus an. XXIII.

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Ceppetelli Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile

Roma — Tip. Partenopea, F.lli Amoroso, Campo Marzio, 46. int.